





Nat. 7

MICHAEL KRISER  
1655





ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ  
SACRÆ,  
DISPUTATIO XXIV.

Ad statum integritatis pertinens

*De*

VOCABULIS IN

Articulo Iustificationis occur-  
rentibus & de illius causa efficiente, impellente  
& meritoria.

In inclyta VVitteb. Academia.

*Ad disputandum proposita,*

SUB PRÆSIDIO

BALTH. MEISNERI, SS. Th. D.

& Profefs. Publ.

RESPONDENTE,

M. JOHANNE ROTTLÖBEN

Wittebergenfi.

*Habebitur ad diem 10. Septembr.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis GORMANNIANIS, Anno 1618.



VOCABULUS IN

Articulo Infinitivorum

In lingua Vened. Academia

BARTH. MEISSNER, S. J. D.

M. JOHANNES ROSENFELD





ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ

SACRÆ

DISPUTATIO XXIV.

De

IUSTIFICATIONE.

Thesis I.



**V**IX alius est articulus Christianæ fidei, qui à pluribus adversarijs, modisque pluribus fuerit oppugnatus, quàm hic præsens, qui est de iustificatione hominis, seu gratuita remissione peccatorum. Nihil dicam de antiquis hæreticis: vel solus Pappus luculentum præbere potest testimonium, quàm infensus huic do-

*Satanas hunc articulum multis modis corrumpit.*

ctrinæ sit Satanus, dum per mancipia sua tam miserè illam corrumpit in Ecclesia Romana, ut Christo Redemptori suus honor imminutus, discrimen legis & Evangelij sublatum, pavidisque conscientijs firmum solacium prorsus denegatum fuerit. Quod ipsam vi veritatis fateri coactus est Pighius ita scribens: *Disimulare non possumus, à nostris hanc vel primam doctrinam Christianam partem, obscuratam quàm illustratam magis à scholasticis spinosis pleriq; questionibus & definitionibus.*

II. Deus verò Ecclesiæ suæ tandem miserus, excitavit Me-  
galandrum Lutherum, qui corruptelas Papales fideliter mon-  
stravit, & doctrinam de Justificatione puritati pristinae & Apo-  
stolicæ, successum largiente Altissimo, feliciter restituit. In o-  
mnibus enim suis Scriptis nihil tam graviter urfit, nihil tam  
sapè inculcavit, quàm *hominem iustificari solâ fide merito Christi apprehendente, omnibus legis operibus exclusis.* Hinc in præfat. super  
epistolam ad Galatas: *In corde meo, inquit, iste unus regnat articulus, scilicet fides Christi.* Ex quo, per quem & in quem omnes meæ diu noctuq;  
fluunt

*Lutherus autem repurgavit.*



fluunt & resuunt Theologicae cogitationes. Nec tamen comprehendisse me experior de tanta altitudinis, latitudinis, profunditatis sapientiâ, nisi infirmas & pauperes quasdam primitias, & veluti fragmenta. Paulò post hæc subjungit: Opus est hunc articulum quàm diligentissimè tractare & Satanae opponere, sive simus infantes, sive eloquentes, sive docti, sive indocti. Oportet enim hanc petram clamari, si omnis homo taceret, ab ipsis petris seu lapidibus. Et rursus: Hæc doctrina nunquam satis tractari & inculcari potest: Eâ jacente & pereunte, jacet & perit simul tota cognitio veritatis; Eâ verò florente, florent omnia bona, religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium statuum & rerum.

Quantum momenti in hoc articulo sit positum.

III. Nam articulus hic quasi centrum Theologie est, ad quod omnia collinant: Sacer oceanus est, in quem omnia confluunt; arca fidei est, quæ omnia servat tuta & illibata. Hic si erretur cum Pontificijs, mox DEI gratia mutatur in habitum infusum, CHRISTI meritum extenuatur, fides pro sola dispositione habetur, justitiæ Evangelicæ quiddam inhærens substituitur, discrimen Legis & Evangelij confunditur, *πληροφωρία* fidei tollitur, meritum operum stabilitur, satisfactiones urgentur, suffragia conquiruntur, missæ celebrantur, sancti invocantur, purgatorium succenditur, monastice eligitur, multiq̄ue alij cultus electitij introducuntur, ut rectissimè pronuntiârit Lutherus in enarratione argumenti super Epistolam ad Galatas: *Amisso articulo justificationis, amissa est simul tota doctrina Christiana.* Quòd si verò in hoc doctrine capite vera sententia fuerit percepta, jam totus ferme Papatus expugnatus, & omne negotium confectum est, siquidem cætera ultrò ruunt, & diutius consistere haut queunt. Adeò verissimum est illud Lutheri proverbium, quo sæpius fuit usus: *Justificatio est articulus stantis & cadentis Ecclesie.*

IV. Quò igitur major hujus articuli & dignitas est & utilitas, eo diligentior impendi debet opera, ut ab omnibus corruptelis purgetur, & incorruptus ad posteros propageetur, præsertim cum Lutherus noster aliquoties in commentarijs suis super Genesin & Epistolam ad Galatas prædixerit, hanc de gratuita.

Ju.



Justificatione doctrinam, nostro tempora rursus obscuratam iri: quod sanè vaticiniùm reipsà esse impletum, haut obscurè testatur experientia. Ut ergò hætenus controversiam *de libero arbitrio* in thesi & antithesi consideravimus: ita nunc præsentem de Justificatione doctrinam, quam Bellarminus immediatè subjunxit, pari fidelitate pertractabimus.

V. Potest autem *εργασία* hujus articuli tribus præcipue capitibus includi. In primo vocabula quædam veniunt explicanda. In secundo de singulis causis naturæ, justificationis differendum erit. In tertio saluberrima de certitudine justificationis doctrina adstruenda & propugnanda est. Nos à terminorum expositione initium facturi, hoc præmonemus, quòd *tria* sint vocabulorum genera, quibus utimur circa dogmata Christianæ fidei describenda. Nam 1. Quædam sunt tantum *Biblica*, quæ non nisi in sacris reperiuntur Scripturis, ut vocabulum Jehovæ, Messia, CHRISTI, &c. 2. Quædam sunt *Ecclesiastica*, quæ non extant in sacro codice, ab Ecclesia tamen ad retundendos hæreticos usurpantur, ut Trinitas, *ὁμοοσία*, Pædobaptismus. 3. Quædam sunt *communis*, quæ non tantum in Scripturis habentur, sed in cotidiana etiam conversatione sæpius audiuntur. Hæc autem vel sunt communia quoad literam & sensum simul, quorum exempla occurrunt plurima: vel tantum quoad literas conveniunt & sensu differunt, quod discrimen diligentissimè observandum est, ne per peregrinas vocabulorum acceptiones, peregrina & verbo Dei contraria doctrina introduceatur. Tale autem commune vocabulum est *justitia*, quo utitur & Apostolus & Aristoteles, sed diverso sensu: *Huius* habitus inhærens est: *Illi* neutiquam, sed potius imputatio justitiæ alienæ, & absolutio à peccatis. Hoc dum non considerarunt scholastici, gravissimè errarunt, justitiã Theologicam per habitum definiendo, atque sic vocabulum istud in Philosophicum sensum perniciosè mutando. Quocirca operæ pretium est, ut linguæ Spiritus S, adsuescamus, & dili-

Tractatio hujus articuli tribus capitibus includitur.

Tria genera vocabulorum.





genter annotemus, quid ipsi sit *justitia*, *justus*, *justificare*, quid *gratia gratis*, *fidei imputatio*, & quæ sunt aliæ voces, in epistolis Paulinis sæpius occurrentes. Quamvis autem plerisque istos terminos alibi exposuerimus, placet tamen præcipua momenta, quorum cognitio hic prærequiritur, paucis repetere, ne manca sit & semiplena hujus articuli tractatio. Istis verò explicatis, ipsam justificationis nostræ naturam videbimus, & singularum causarum rationem pro viribus, quas suppeditabit Altissimus, diligenter exponemus.

*De*

## VOCABULIS IN HOC ARTICULO USITATIS.

### QUÆSTIO I.

*Justitia vocabulum quid notet?*

*Etymologia  
justitiæ.*

VI. Omnes termini explicationis indigi possunt hoc uno Aphorismo comprehendendi: *Justificamur ex gratia Dei, gratis, per fidem, & justitiæ Christi imputationem.* Quia verò justificare à justo & justitiæ descendit, ob id vocabula isthæc prius proponemus, post ad reliquorum ἐξηγήσειν accessuri.

VII. *Justitia* nomen habet à *jure*, quod est à *jubendo*. Quicquid enim Magistratus & leges jubent, hoc jus est, & qui obtemperat, *justus*, justitiæque præditus censetur. Grecis δικαιοσύνη dicitur à *δικαιος*, quam vocem Aristot. 5. Eth. 7. derivat à *διχα* bipartito, quod *justus* in duas suo modo æquales partes rem dividat, ut *δικαιος* sit quasi *διχαος* & *δικαιοσύνη* quasi *διχαιοσύνη*, quod ἕτυμον optimè convenit justitiæ distributiæ, quæ unicuique suum datur. Hebræi justitiæ vocant *קַדְוָה* à rad. קָדַשׁ quæ notat justificare, justum pronunciare, absolvere, excusare, &c.

IIX. Quæst'



IIX. Quòd verò significationes hujus vocabuli attinet, multarum illarum passim reperiuntur. Philosophus inculcat justitiam universalem & particularem, quam in distributivam & commutativam dispescit. Theologiæ alia est justitia concreata, alia simulata, alia imputata, alia inchoata, alia consummata Sic vulgò distinguimus inter justitiam Evangelicam, seu fidei, quæ imputata est; & legalem, seu operum, quæ vel externa tantum, vel interna est, solisque renatis propria, & inchoatur in hac vita, consummabitur in altera. Lutherus justitiam Evangelicam nominare solitus est passivam quia per eam absolvimur à Deo, nos nihil operamur, & legalem activam, quia per hanc benè agere studemus. Semper autem admonuit, ut ab activa ad passivam justitiam oculos flectamus. Bellar. l. 1. de justifi. c. 1. quatuor justitiæ significationes recenset, dum notare ait 1. Jus. 2. Rectitudinem scriptam in libris. 3. Rectitudinem operum externorum. 4. Rectitudinem internam. Verùm plures earum passim occurrunt, quas breviter enumerabimus.

Diverso acceptiones.

IX. Non autem multum solliciti erimus de acceptionibus Philosophicis, ubi justitia sumitur, 1. pro toto virtutum choro, quæ universalis dicitur. 2. pro particulari justitia, in distributivam & commutativam divisa. 3. Pro obedientia inferioris erga leges sui superioris. 4. Pro fide & veritate promissionum. Biblicas potissimum & Theologicas significationes videbimus, ubi notandum, quòd Justitia tribuitur partim Deo, partim Christo, partim hominibus, & in qualibet attributione diversa significata occurrunt.

X. 1. Cùm DEO tribuitur, notat I. Essentialem ejus rectitudinem & perfectionem, de qua Deut. 32. v. 4. Deus fidelis & absq; ulli iniquitate justus & rectus. II Judiciariam & vindicatricem justitiam, quam negant recentiores Photiniani. Fundatur autem Rom. 1. v. 32. 2. Thess 1. v. 5. 6. Psal. 9. v. 5. Psal. 119. v. 137. Psal. 145. vers 17. III. Veritatem promissionum vel fidelitatem in servandis promissis Ps. 36. v. 7. Esa. 45. v. 19. i. Joh. 1. v. 9. IV. Voluntatem lege expressam vel mandata Dei, quæ in Psalmis crebrò vocantur justitia, ut Psal. 19. v. 9. Psal. 119. v. 12. V. Beneficia à Deo misericordie profecta. 2. Sam. 12. v. 7. VI. Ipsam

Iustitia Deo attributa quid no:et?





Cur justifica-  
tio nostri dica-  
tur justitia  
Dei?

Discrimen in-  
ter δικαιο-  
μα, δικαιο-  
συν & δικαιο-  
συνωλυ.

Justitia Christi  
quid notet?

Justitia homi-  
num quotu-  
plex?

**VI.** Ipsam bonitatem & misericordiam Dei, ut Dan. 9. vers. 16. 'Secun-  
dum omnes justitias tuas averte iram tuam. Sic Psal 51. v. 16. Psal, 69. v.  
28. Psal. 71. v. 2. Psal. 143. v. 1. 2. Hinc justitia, veritas & misericor-  
dia permutantur, Psal. 40. v. 10. v. 12. quod ab interpretibus quoq;  
factum, Gen. 19. v. 19. c. 20. v. 13. c. 21. v. 23. c. 32. v. 10. Psal. 103. v. 6. Et ita ple-  
rumque sumitur hoc vocabulum, cum sermo est de Justificatio-  
ne. Neque profanis scriptoribus prorsus ignota fuit hæc acce-  
ptio. Sic enim apud Terentium ait Sostrata Heaut. Meæ stultitiæ  
in justitia tua sit aliquid præsidij. **VII.** Justificationem hominum vel  
justitiam imputatam. Hæc enim ab Apostolo sæpè vocatur justitia  
Dei, ut Rom. 3. v. 20. 21. 22. quod fit 1. Ratione adjuncti, quia Deo placet, inde Lutherus significanter venit: Die Gerechtigkeit die  
für Gott gilt/ quò Rom. 4. v. 2 non obscure Paulus respicit. 2. Ra-  
tione cause efficientis, quia est à Deo, & nobis ex gratia ipsius con-  
fertur unde Phil. 3. v. 9. vocatur justitia ex Deo seu à Deo. 3. Ratio-  
ne cause meritorie, quoniam à Christo, Dei filio, veroque Deo no-  
stri loco est præstita & deinde nobis imputata. Porro & illud  
hic notari potest, quod Græci distinguunt inter δικαιομα θεσ, in-  
ter δικαιοσυν & δικαιοσυνωλυ. Per δικαιομα indicatur regula ju-  
stitiæ divinæ lege patefacta, ut Rom. 1. v. ult. c. 2. v. 26. c. 8. v. 4 δικαιοσυν  
notat actum justificationis nostræ, Rom. 5. v. 18. δικαιοσυνωλυ partim  
pro justitia vindicatrice, partim pro bonitate & misericordia  
Dei sumta reperitur.

**XI.** II. Cùm CHRISTO tribuitur, tum significat. 1. Justitia  
am ejus habitualet, quæ consistit in plenaria innocentia, & omnis  
peccati absentia. 2. Justitiam ejus actualet, quæ fuit perfecta obe-  
dientia & impletio legis, quæ Rom. 5. v. 17. 18. commendatur 3. Ju-  
stitiam nobis acquisitam, quæ vocatur justitia Christi, quoniam per  
illum parata est, unde & ipse nostra justitia nominatur, Jerem. 23.  
vers. 6.

**XII.** III. Cùm HOMINIBVS tribuitur, notat. I. Obedienti-  
am erga legem Dei, quam ipse quidem perfectam postulat, Matth. 5.  
vers. 20. Nos autem præstare non possumus, ideoque non-  
nunquam externa qualiscunque obedientia vocatur, justitia,  
Phil. 3. vers. 6. II. Quavis bona opera, Psal. 15. v. 2. Esa. 64. vers. 6. III.  
Justitiam cause, Psal. 18. v. 21, IV, Beneficentiam, 2. Cor. 9. v. 10. V. Elee-  
mosy.



mosynam, Dan. 4. v. 24. VI *Premium iuste vite*, Gen. 30. v. 33. VII  
*Iustitiam Evangelicam* vel fidei, quâ iusti sumus coram Deo, & con-  
sistat illa in gratuita remissione peccatorum propter Christum  
fide apprehensum, qui est fundamentum nostræ iustitiæ, Rom. 3.  
v. 12. 22. 24. 1. Corinth. 1. v. 30. Galat. 2. v. 16. Sed Pontificij  
longè aliter describunt iustitiam, nempe per infusum habitum,  
vel internam rectitudinem, quâ homo rectè ordinetur erga  
Deum & proximum, quæ sola sit simpliciter iustitia, & dicatur  
iustitia fidei, quia à fide incipit, & iustitia Dei, quoniam ab illo  
donatur, quæ Bellarmini verba sunt l. 1. de Justific. c. 1. Cum verò  
figmentum hoc Scripturæ sit ignotum, & ex lacunis Aristotelicis  
haustum, meritò à nobis rejicitur.

## Q U Æ S T I O II.

*Quot modis vocabulum iusti acci-  
piatur?*

XIII. Observant nonnulli, quòd trifariam aliquis esse possit *Trifariam ali-*  
iustus. 1. *Naturâ.* 2. *Gratiâ.* 3. *Voluntariâ perfectâq;* erga Deum & *quis potest esse*  
*legem ejus obedientiâ.* Naturâ rursus bifariam, nempe aut propriâ *se iustus.*  
essentiâ per seipsum: aut quia iustus alterius beneficio factus  
vel natus est. *Priori modo* solus Deus iustitiam obtinet, quippe  
solus essentialiter iustus. *Posteriori modo* Adamus fuit iustus ini-  
tiò vel in statu integritatis, quia Deus illum iustum condidit.  
*Gratiâ* verò iusti sunt omnes credentes, quorum iustitia *partim*  
est imputata Christi, quâ sunt iusti coram Deo, *partim inhæ-*  
*rens & inchoata,* quâ dicuntur iusti coram hominibus. Sed  
voluntariâ perfectâque obedientiâ, nemo hominum in hoc  
mundo post lapsum Adami iustus est aut esse potest, ob nimiam  
naturæ corruptionem & perpetuò adhærens peccatum. Hic  
duntaxat incipimus obedientiam & legis impletionem, sed con-  
summabitur in altera vita, ubi abolebitur id, quod ex parte est.  
CHRISTUS autem his modis omnibus iustitiam possidet, quia  
iustus est. 1. *Naturaliter* & tum per essentiâ quâ Deus; tum per  
*nativitatem,* quatenus ex Spiritu sancto conceptus homo est.

B

2. Gra-



Significatio-  
nes justi Phi-  
losophicæ &  
Theologicæ.

2. *Gratosè* ob unionem personalem, & respectu habitualis justitiæ.  
3. *voluntariè* propter perfectissimam obedientiam, Patri cœlesti præstitam.

XIV. Præter illas verò significationes longè plures partim Philosophicæ, partim Theologicæ occurrunt. *Philosophicè* justus est. 1. Qui omni virtute præditus. 2. Qui suum cuiq; tribuit. 3. Qui legibus sibi præscriptis obtemperat, & 4. quod promisit, fideliter servat. *Theologicè* justus vocatur I. DEUS, 1. ob essentialem rectitudinem, 2. quatenus justa præcepta fert. 3. justè judicat. 4. in servandis promissionibus fidelis est. 5. Beneficia distribuit, & 6. credentes justificat. II. CHRISTUS, 1. quatenus sine peccato est. 2. Quatenus legem implevit & justitiam nobis acquisivit. III. HOMO: 1. quatenus legi obtemperat. 2. Benè justeque agit. 3. Beneficus est, & 4. Christi justitiam sibi habet impuratam, quæ significatio hujus loci est, & inter cæteras principatum obtinet.

## QUÆSTIO III.

*Quid propriè verbum Justificare significet?*

Verbum justifi-  
candi non re-  
peritur apud  
Latinos sed  
Græcos.

XV. Vocabulum justificandi apud scriptores Latinos non reperitur. Græci autem usurpant verbum *δικαίνω*, quod sumitur 1. *Neutraliter*, ubi idem est quod arbitrari, justum vel æquum censere. Sic legitur apud Herodotum, *δικαίνων Αἰγύπτιοι* Judæi, Ægyptij æquum censent sacrificare. 2. *Activè*, & idem est quod supplicio afficere, realiter punire. Hinc *δική* quandoq; pœnam significat, & apud Germanos, einen armen Sûnder rechtfertigen est supplicium de illo sumere. 3. *Passivè*, ubi *δικαίνω* vel justificari dicitur, cui jus suum tribuitur, qui absolvitur; quo pacto activum *δικαίνω* foret, jus suum tribuere, vel in foro justum aliquem declarare, & à crimine absolvere. Plures significationes vix occurrunt. Inprimis planè ignota est probatis authoribus Papistica hujus vocis interpretatio, cum justificare per habitum infundere exponunt.

16. Quan-



XVI. Quantumvis autem hæc acceptiones quodammodo accommodari possint ad Theologicam justificandi significationem, magnum tamen simul discrimen intercedit. Nam justificandum in foro politico oportet inherenter justum esse, nihilque mali egisse. In foro autem Theologico justificatur is, qui inherenter malus, multisque peccatis contaminatus est, ideoque de genuina vocis hujus significatione ex solis Scripturis judicari potest & debet.

XVII. Videndum jam igitur restat, quamnam in sacro codice significationem verbum illud obtineat, in qua quaestione *Justificatio* decidenda, prorsus discrepant à nobis Pontificij Bellarm. l. 1. de *juxta Bellarm. Justificat. c. 1.* scribit, *Justificationis nomen in sacris literis multis modis minime accipi, & recenset quatuor potissimum acceptiones, 1. Pro ipsa lege, quor significat.* quæ justitiam docet, ut Psal. 119, v. 8. 12. sed vitium est vulgatae versionis, quæ Hebræum  $\text{דִּיּוּטָן}$  & Græcum  $\text{δικαιοσύνη}$  non per justificationes, sed statuta vel mandata debuit exponere. 2. *Pro acquisitione justitiæ*, quæ tamen acquisitio ipsi nihil est aliud, quam infusio, citatq; dictum 1. Cor. 6, v. 11. Rom. 8, v. 30. c. 4, v. 5. quæ testimonia loqui de imputata justitiæ, non infusa, de absolute peccatorum, non de justificatione, contextus ipse indicat & analogia fidei comprobatur. 3. *Pro incremento justitiæ*, cum ex justo fit justior, sicut is dicitur calefieri non solum qui fit calidus ex frigido, sed etiam qui ex calido fit calidior. Pro hoc sensu allegat dictum Ecclesiast. 18, v. 22. Jacob. 2, v. 24. Apoc. 22, v. 11. ad quæ infra respondebitur. 4. *Pro declaratione justitiæ*, modo quodam forensi, ut ille dicatur justificari, qui à judice justus declaratur atque absolvitur, quò applicat dicta Prov. 17, v. 15. Esa. 5, v. 13. Luc. 7, v. 35. Luc. 10, v. 29. Ex his verò significationibus secundam & tertiam ad præsentem articulum pertinere arbitratur, quartam verò rejicit, ut patet ex l. 2. c. 3.

XVIII. Atque hinc est, quòd distinguunt inter justificationem *De Pontificiorum justificatione prima & secunda.* primam & secundam. *Prima*, inquit Becanus disputat. de justificatione Catholicorum c. 1. *consistit in acquisitione justitiæ; secunda in augmento ejusdem.* Prima est gratuita, secunda ex meritis bonorum operum. De prima loquitur Paulus, de secunda Iacobus. Primam c. 2. *fusus exponit, & definit translationem è statu peccati in statum gratiæ, quod fiat*



fiat duobus modis: 1. Remissione seu expulsionem peccati. 2. Infusione, seu acquisitione justitiæ, non secus atque calefactio: quæ quis ex frigido fit calidus, continet duas partes, depulsionem frigoris & acquisitionem caloris.

Verbum justifi-  
candi tria  
complectitur.

XIX. Nobis verò longè alia mens est, quippe qui ex Scriptura didicimus, vocabulum justifi-*forensis* esse, & notare hominis peccatoris jamjam puniendi gratuitam ob Christi meritum absolutionem, & in gratiam acceptionem, ut non amplius pro reo, sed justo absolutoque pronuncietur & habeatur. *Tri-* enim vox illa complectitur. 1. Accusarum absolvere, ne judicialiter condemnetur. 2. Pro justo censere & pronunciare. 3. Ita justificato tribuere testimonium & præmia, quæ innocentibus debentur.

XX. Et sanè si vim & usum Hebrææ radicis *PIY* spectemus, nullibi pro justitiæ infusione usurpata legitur. Nam in *Kal* notat justitiæ habere, vel justum esse positivè ut *Psal.* 19. v. 10. *Psal.* 143. v. 2. *Job.* 9. v. 20. quandoq; etiam justè agere, *Iob.* 33. v. 9. 12. In *Piel* notat tribuere sibi vel alteri justitiæ, *Iob.* 32. v. 2. *Ierem.* 3. v. 11. In *Hiphil* verò forensam significationem obtinet, idemque est, quod in *Judicio* aliquem absolvere & justum pronunciare sive id verè fiat, sive falsò, & sive de Deo, sive de creaturis dicatur. In *Hithpabel* significat seipsum justificare, & bonitatem causæ suæ argumentis & testimonijs asserere, ut *Genes.* 44. v. 16. Et hæc significationes passim reperiuntur in Scripturis: de Papistica verò pro infusione sumpta, altum est silentium.

Justificare primariò notat absolvere.

XXI. Si enim præcipuos utriusque testamenti textus percurramus, luculenter apparebit, quòd *justificare primariò* & præcipuè significet aliquem absolvere vel justum declarare. Ex Veteri Testamento videatur locus, *Gen.* 44. v. 16. *Exod.* 23. v. 7. *Deut.* 25. v. 1. 2. *Sam.* 15. v. 4. *1. Reg.* 8. v. 32. *Iob.* 27. v. 5. *cap.* 32. v. 2. *cap.* 33. v. 2. *Psal.* 51. v. 6. *Psal.* 82. v. 3. *Psal.* 143. v. 2. *Prov.* 17. v. 15. *Esa.* 5. v. 23. *cap.* 50. v. 8. *Ierem.* 3. v. 11. *Sir.* 1. v. 28. *c.* 7. v. 5. *c.* 19. v. 32. *c.* 26. v. 28.

De loco *Psal.* 73. v. 13.

XXII. Neque verò obstat dictum ex *Psal.* 73. v. 13. *Sine causa justificavi cor meum, hoc est, juxta Pontificios, justum reddidi.* Nam absurdum est, quòd homo seipsum coram Deo possit justum reddere, *Psal.* 143. v. 2. Deinde vitium est vulgare versionis, quia in Hebræo



Hebræo non est justificavi, sed *מְדַבֵּר* mundavi, notaturque studium inculpatæ & innocentis vitæ. Conqueritur enim David, quod malis benè, bonis autem & justitiam sectantibus malè sit, & addit, *Num igitur frustra mundavi cor meum, num inaniter & sine causa vitam puram & innocentem ducere laboravi?*

XXIII. Sic impertinens est illud, quod citatur ex Dan. 8. v. 14. *Justificabitur sanctuarium, id est, mundabitur.* Nam 1. phrasis illa non notat infusionem justitiæ, sed restorationem cultus. 2. *De loco Dani. 8. v. 14.* Nos quærimus de justificatione hominis: Illi proferunt exemplum de justificatione vel purgatione sanctuarij. 3. Verbum Hebræum non est in Hiphil, de quo solo nos loquimur, sed in Niphal *וְנִצְרָק קִרְיָא*. Quare rursus committitur Ignoratio Elenchi. Et tandem 4. dictum istud posset exponi declarativè. Sanctificabitur, id est, sanctum purgatumque esse declarabitur.

XXIV. Sed cum primis urgent locum Danielis 12. v. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt.* In Hebræo est *מְצַדִּיקִים*, id est, *De loco Dani. 12. 3.* justificantes, sive qui justificant, hoc est, juxta Bellarm. *justos faciunt, quia erudire aliquem ad justitiam sit reipsa justum facere* l. 2. c. 3. Verùm 1. Falsum est, quod erudiens ad justitiam statim justum faciat discipulum. Nec enim Ethicus docens temperantiam aut fortitudinem è vestigijs omnes facit fortes & temperantes. Nam 2. *alia est ratio habituum theoreticorum, qui paulatim introducuntur per informationem; & alia virtutum moralium, quas præceptor non ingenerat, sed duntaxat modum illas consequendi monstrat.* 2. *Absurdum foret dicere, quod ministri justificando auditores, justitiam ijs infundant, cum hanc immediatam solius Dei actionem esse ipsi fateantur.* 3. Dictum istud intelligitur ratione vel *θεωρίας*, vel *πράξεως* Christianæ. Si ratione *θεωρίας*, tum dicuntur ministri justificare, quatenus verum justificationis modum docent, & ad resipiscentiam homines hortantur, unde vulgata reddidit: *Qui ad justitiam erudiunt multos.* Et Luth. *Die so viel zur Gerechtigkeit weisen.* Et si maxime tales doctores dicantur facere justos, non tamen faciunt per infusionem, sed per informationem & adhortationem. Si ratione *πράξεως*, tum ministri justificant, quatenus à peccatis loco



Dei absolvunt, & pœnitentes justos pronunciant. Quod enim Deo proprium est, ut retinere & remittere peccata, hoc pastoribus tanquam ministris & legatis Dei sæpè tribuitur, ut Matth. 18, v. 18. Johan. 20, v. 23. 2. Cor. 5, v. 19. 20. qua de causa Timotheus dicitur & se & suos auditores salvare. 1. Tim. 4, v. ult. Sic igitur pastores justificant suas oviculas, non infundendo, aut realiter in ipsis efficiendo justitiam, sed 1. informando. 2. Exhortando, 3. Absolvendo & justos pronunciano.

XXV. Porro ex Novo Testamento similiter multa produci possunt loca, in quibus justificare itidem forensi modo sumitur pro absolvere aut justum pronunciano. Videantur dicta Matth. 12, v. 37. Luc. 10, v. 29. c. 16, v. 5. Act. 13, v. 38. 39. Rom. 2, v. 13. c. 3, v. 20. 26. 28. 30. c. 4, v. 5. c. 5, v. 19. c. 8, v. 30. 33. 1. Cor. 4, v. 4. Gal. 2, v. 16. 17. c. 3, v. 8. II. c. 5, v. 4. Tit. 3, v. 7. Jac. 2, v. 21. 24. 25. Obscurus autem non nihil est locus Matth. 11, v. 19. Luc. 7, v. 35. *Iustificata est sapientia à filiis suis.* Nam diversis planè modis solet exponi. Quibusdam justificari est idem, quod *condemnari*, quò videtur respexisse Lutherus: *Die Weisheit muß sich rechtfertigen lassen von ihren Kindern.* Sed alij particulam *neg* exponunt adversativè: *Sed iustificata est*, uti quoq; sumitur Matth. 12, v. 39. Act. 10, v. 28. Atque sic justificari ipsis idem est, quod justitiæ & sapientiæ testimonium à filiis consequi, ut sic oppositio: *Pharisæi me reprehendunt, sed tamen absolvor à filiis.* Ita dicitur Luc. 7, v. 29 *Publicani è δικαιοσύνη, iustificaverunt Deum*, id est, justum & bonum pronunciarunt. Sic Psal. 51, v. 6. *ut iustificeris in sermonibus tuis*, id est, ut justus & verax declareris. Quæcunque autem expositio teneatur, nihil contra analogiam fidei dicitur, nec quicquam patrociniij reportant inde Pontificij.

De loco Matt.  
11, v. 19.

XXVI. Atque ita demonstratum est hætenus, quòd verbum justificare, juxta Scripturæ usum primariò notet absolvere & justum pronunciano: contra quam thesin quod opponant Romanenses, nihil solidi inveniunt. *Compositionem vocis urgent & ἀνελογία Grammaticam quia justificare sit idem quòd justum facere, uti purificare notat purum, sanctificare sanctum, & vivificare vivum facere.* Verùm 1. Ista analogia non est universalis. Sanctificamus, glorificamus, magnificamus Deum, non ex profano sanctum, non

An de iustifi-  
catione ex  
compositione  
vocis judican-  
dum sit.



non ex inglorio gloriosum, non ex parvo magnum faciendo, sed talem prædicando & celebrando. 2. Non ex compositione vocis Latinæ, sed potius ex usu linguæ sanctæ de vero istius vocabuli sensu judicandum est. 3. Sacerdos dicebatur sanctificare leprosum non faciendo, sed pronunciando sanctum vel purgatum. 4. Si maximè sanctificatio hominis semper notaret inhærenter sanctum facere, non tamen inde sequeretur, quòd idem de justificatione statuendum sit. 5. Verba Hebræa in Kal neutra, in Hiphil quidem activa fiunt, & per facere exponuntur; Sciendum verò, quòd qualitas primæ conjugationis tribuatur alteri vel reipsâ, vel permissione, vel iudicio, asseveratione & declaratione alterius. Unde Flacius istam ponit regulam: Apud Hebræos verba quædam, quæ in prima conjugatione significant qualitate aliquâ vel motu præditum esse, in tertia significant, eam qualitate vel motum alterius iudicio, verbis & asseveratione alteri tribui. Sic  $\text{עוּר}$  impius fuit, in Hiphil notat condemnare, seu pro impio pronunciare. Ita  $\text{שׂוּר}$  mentiri, in Hiphil est mendacij arguere. Pari modo Germani dicunt: Einen fromb machen / Einen zum Dieb oder Lügner machen / non quòd alter alterum reipsâ talem faciat, sed quia furci, mendacijque convincit, & talem esse publicè proclamatur. Eadem prorsus ratione  $\text{צַדִּיק}$  justum esse, in Hiphil significat, alteri verbis justitiam tribuere seu justum reputare & absolvere. Proinde nulla est sequela  $\text{צַדִּיק}$  notat justum facere ob modum significandi in Hiphil. Quare notat justitiam infundere. Non, inquam, sequitur, quia potest aliquis justus fieri etiam per alterius iudicium, pronunciationem & declarationem. Quod ipsum non diffiteri potuit Bellarminus l. 2. de Justificatione, cap. 3. scribens: *posse aliquem fieri justum tum intrinsecè per adoptionem justitiæ, tum extrinsecè per declarationem.*

XXVII. Uti verò hætenus de principali significatione disseruimus in genere: Ita nunc in specie demonstrari debet, quòd verbum istud cum primis in articulo Justificationis forensis significationem obrineat, ita quidem, ut justificati coram Deo nihil sit aliud, quam peccatorem coram tribunali divino constitu-



stitutum, & ad thronum gratie confugientem à culpa & pœna absolvi, ad-  
Specialis pro- eoq; justum pronunciari. Hoc ipsum autem quatuor præcipue argu-  
batio, quod mentis probari solet.

justificare fo- XXVIII. 1. A descriptione Biblica. Sic enim justificatio  
rensem habeat nostra describitur in Scripturis, quod sit actus judicialis. *Iob. 9.*  
significationē *v. 2. 3. Psal. 143. v. 2.* in quo est delictum. *Matth. 6. v. 12.* & reus (ho-  
1. A descriptio- mo peccator) *Rom. 3. & 4.* & accusator (lex) *Act. 3. v. 20.* & Chiro-  
ne Biblica. graphum, *Coloss. 2. v. 14.* & testis (conscientia) *Rom. 2. v. 15.* & tri-  
bunal (Christi) *Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10.* & advocatus (Christus)  
*1. Ioh. 2. v. 1.* & iudex (Dominus) *Ioh. 5. v. 27. Act. 10. v. 42.* & gratia,  
*Psal. 25. v. 6. 7.* & absolutio seu peccatorum remissio, *Psal. 25. v. 11.*  
*Psal. 32. v. 1.* quæ omnia forensam significationem luculenter sta-  
biliunt.

2. Ab oppositis. 2. Ab oppositis, quæ sunt condemnatio, peccati imputatio  
non dimissio, *Rom. 5. v. 16. 1. 8. v. 33. 34. 2. Cor. 3. v. 9. Galat. 3. v. 10.* quæ  
omnia sunt forensia. Unde sequitur, & justificandi vocabulum  
tale esse, cum opposita semper sint sub eodem genere.

3. A Synonymis. 3. A Synonymis & phrasibus æquipollentibus, quæ omnes  
sunt judiciales, ut non vocari in iudicium. *Psal. 142. v. 2.* non ju-  
dicari aut condemnari. *Ioh. 3. v. 8. 16. 17. 6. 5. v. 24.* peccata remittere,  
*Ioh. 20. v. 23. Rom. 3. v. 25.* condonare, *Coloss. 2. v. 13.* solvere vel absol-  
vere, *Matth. 16. v. 19. 18. v. 18.* tegere non imputare peccata. *Rom. 4. v.*  
*v. 7. 8.* reconciliari, *2. Cor. 5. v. 19. Rom. 5. v. 10.* salvari aut salvum fieri,  
*Act. 15. v. 11. Rom. 11. v. 5* ubi tamen notandum, quod salus notet  
fruitionem vel gloriæ, & hæc speratur futura; vel gratiæ, & hæc ha-  
beri potest in præsentia vita. Hoc posteriori respectu sumpta salva-  
tio non differt à justificatione, siquidem iisdem causis consti-  
tuuntur, & tanquam *ἰσὺδωκαμῆντα* in Scripturis invicem per-  
mutantur.

4. Ab absurdis. 4. Ab absurdis. Sequitur enim, quod infusio justitiæ sit remis-  
sio peccatorum, quia per hanc justificatio describitur, *Rom. 3. v. 25.* & quod justificationis forma non sit unica, sed varia, ut re-  
missio peccatorum, infusio justitiæ & productio bonorum  
operum, quæ se habent, ut privatio, habitus, actus, adeoque  
realiter distincta sunt. Addi præterea possent testimonia  
14178



tum Patrum, tum ipsorum adversarium: sed ista consultò præterimus, cum fusè sint enumerata à Dn. D. Gerardo T. 3. LL. cc. p. 990. & seqq. Hoc unum notetur, Spiritum sanctum non absque causa doctrinam justificationis vocabulo forensi descripsisse, ni- *Cur nostra justificationis vocabulis forensibus describatur?* mirum ad tollendas cogitationes tum Epicureas, quando homines de sua salute parum sunt solliciti, & justificationem pro re levi habent: tum pharisaicas, quando sibi blandiuntur, & propriam sanctitatem nimis prædicant. Utrumque autem vitium, & securitas & justitiæ persuasio, evanescet facile, si cogitaveris, justificationem esse processum judicialem, ubi coram severissimo tribunali Dei sistimur, & exactam omnium dictorum factorumq; rationem reddere tenemur.

XXIX. Nunc paucis videbimus, quid in contrarium proferant Romanenses. Allegant 1. Es. 53, v. 11. *In scientia sua justificabit ipse servus meus multos, id est, justos faciet.* Resp. 1. Petitur principium, quando justificare per justitiam infundere explicatur. 2. Verti debet non in scientia sua sed sui, ut intelligatur cognitio Christi, quæ non debet esse historica, sed fidelis, de qua sermo Joh. 17, v. 3. ut sensus iste emergat: *Christus in cognitione sui, durch sein Erkennen / h. e. per fidem, quæ Christus agnoscitur & apprehenditur, multos justificabit, h. e. justos pronuntiabit. & à pœnis absolvet, quod idsum repetit Apostolus Rom. 3, v. 26.* Errat proinde Bellarminus qui scientiam exponit de doctrina Christi, cum potius fidelis ejus agnitio & apprehensio innuatur.

XXX. II. 1. Corinth. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti sanctificati & justificati estis:* quæ tria vocabula habent pro Synonymis. v. 11. Resp. 1. Catalogo scelerum opponit Apostolus beneficia, quibus Corinthij conversi fuerunt affecti. Nam sordibus prioris vitæ opponitur *ablutio*, contaminationi *sanctificatio*, reatui & condemnationi *justificatio*. Non igitur eadem prorsus notantur, sed diversa Dei beneficia subindicantur. 2. Sanctificatio consistit in justitiâ in hærente vel renovatione hominis; Sed justificatio fita est in remissione peccatorum. Non igitur debent confundi. 3. Notanter addit Apostolus: *Justificati estis in nomine Dn. nostri Jesu Christi, quod nihil aliud est, quàm per fidem* in

C



in Christum absolvi, & veniam peccatorum gratis consequi, juxta dicta Act. 4, v. 12. c. 10, v. 43. Tit. 3, v. 3.

De Apoc. 22, v. 11. XXXI. III. Apoc. 22, v. 11. Qui iustus est, justificetur adhuc, id est, magis magisque studeat, ut inherens iustitia augeatur. Resp. 1. Distinguitur à sanctificatione justificatio. Proinde non sunt confundenda, ne emergat odiosa *ταυτολογία*. 2. Multi Pontificij exponunt hoc dictum de justificatione secunda, Hæc verò non definitur ab ipsis per infusionem sed honorum operum exercitium. 3. Particula *ἐτι* est ambigua. Vel enim notat incrementum rei, vel ejusdem confirmationem & perseverantiam. Priori modo hic sumi nequit, cum justificatio non recipiat magis & minus, quia in relatione est, non in qualitate. Et iustitia nostra Christus est, 1. Cor. 1, v. 30. Act. 10, v. 43. Tam autem à parvâ, quàm magnâ fide totus apprehenditur. Quare posteriori sensu accipi debet, ut idem sit, quod *πρότερον*, & continuationem indicet hoc sensu: Qui peccatorum suorum veniam consecutus est, studiosè videat, ut hoc imputata iustitiæ beneficium retineat, & porro instet, ut quotidiana debita similiter remittantur.

De Sir. 1, v. 18. XXXII. Tandem IV. Syrac. 1, v. 18. Religiositas custodiet atque  
Eccl. 6, v. 22. justificabit cor, cap. 18, vers. 22. Non verearis usque ad mortem justificari.  
Respond. 1. In græco textu verba ex c. 1. citata prorsus non reperiuntur. vers. 28. quidem dicitur *θυμῶδης ἀνὴρ* iracundum vir (vulgata, Qui sine timore est) non poterit justificari: Sed hic idem notatur, quod à culpa absolvi. 2. In altero dicto similiter non notatur infusio iustitiæ, sed totum reconciliationis & conversionis nostræ opus, quod usq; ad mortis diem vel senectam non esse differendum, rectè monet Ecclesiasticus.

## QUÆSTIO IV.

Quid Scriptura per vocem Gratia intelligat?

Gratia sumitur.

XXXIII. Tribus præcipuè modis accipi solet in Scripturis. 1. Pro favore & misericordia Dei, quâ erga nos homines affertur.



ctus est? & hanc significationem nonnulli vocant *activam*; quia gratuitam Dei circa nos actionem denotat. Hebraei utuntur verbo [יָרַם] quod est gratiā afficere vel favore dignari. Septuaginta plerumq; verterunt per misereri & parcere. Ita sumitur Exod. 33, v. 19. Numer. 6, v. 25. Deut. 28, v. 50. Iud. 21, v. 22: Amos. 5, v. 15. Atq; hæc significatio principalis & usitatissima est, à qua reliquæ dependent & ad quam se analogicè habent.

XXXIV. II. Pro donis gratuitis vel ex gratia collatis, per metonymiam effecti pro causa, quia pro dono ponitur principium donationis, quod est gratia. Et hæc acceptio nominari potest *passiva* quoniam doni receptionem, quæ Philosophis est passio, subinnuit. Ita sumitur Ephes. 4, v. 7. 1. Petr. 4, v. 10. Nec Grecis ignota est hæc significatio, cum Suidas & Varinus annotent, χάρις significare καὶ τὸ δωρεὰν καὶ ἀντίχαρις, ideoque sic describunt: χάρις ἐστὶ πρὸς γυμνασίῳ ὡφελίμῃ δόσις, Gratia est rei fructuosa donatio.

2. Pro donis

XXXV. III. Pro gratiositate, seu pro comitate & mansuetudine, quâ quis se omnibus bonis amabilem reddit & gratum. Sic Luc. 1, v. 26. Maria dicitur gratiâ plena Holdselig. Et Christus Luc. 2, v. 52. Proficiebat gratiâ & sapientiâ coram hominibus. Hæc tres acceptiones non inficiantur Ianiores Pontificij, præsertim cum Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 1. expressam illarum mentionem fecerit. Secundum communem, inquit, modum loquendi, tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus: si ut consuevimus dicere, quod iste miles habeat gratiam Regis. Secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato: Sicut consuevimus dicere: Hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficij gratis dati, secundum quod dicitur agere gratias beneficiorum.

3. Pro gratiositate.

XXXVI. Atque sic faciliè nobiscum convenire possunt in numero significationum Pontificij: hoc autem maximè controversum est, Quid Gratia Dei, quâ passim justificari dicimur, primariò denotet? Ubi nos gratuitum Dei favorem, illi dona infusa intelligunt. Pro confirmatione nostræ sententiæ, benè multa argumenta protulimus disp. XI. quæst. 2. quò ne actum agatur, lectorem remissum volumus.





# QUÆSTIO V.

## Particula GRATIS quomodo accipiat?

Gratis notat

1. Frustrà.

2. Gratuitò.

3. Temerè.

4. Absq; merito.

Gratis quid notet in articulo justificationis.

XXXVII. Vox hæc quatur potissimum significaciones obtinet. 1. Opponitur sperato & intento eveniui, idemq; est, quod frustrà, inaniter, incassum. Gal. 2. v. ult. Si per legem iustitia, Christus gratis mortuus est, So ist Christus vergeblich gestorben. 2. Opponitur solutioni pretij, ut sit idem quod gratuitò vel sine interventu pecuniaz, vmb sonst vnd ohne Gelt. Gen. 29, v. 15. Exod. 21, v. 22. Reg. 24, v. 24. &c. 3. Opponitur vera & iusta causa, ut valeat idem, quod temerè, iniquè & absq; ratione Pl. 69, v. 5. Oderunt me gratis, ohne Brsach. 4. Opponitur merito sive ad bonum sive ad malum. 1. Reg. 19, v. 5. Interficiens David gratis, id est, cum nihil tale esset meritis ohne vnd wider Verdienst.

XXXVIII. Secunda & Ultima significatio in primis locum habet in dictis Paulinis, cum justificari dicimur ex gratia, gratis. Vult enim Apostolus hoc indicare, quod iustitiam planè non simus promeriti, imò & nulla qualiscunq; causa in nobis existat. Nam vocabulum gratis additur gratiæ ἐξ ἡμετέρων. Quia enim gratia nonnunquam notat dona gratuita, & beneficium renovationis, potuisset quis aestimare, hoc per gratiam justificantem innui. Quare ne ullus superesset scrupulus, adjuncta est particula gratis, ut ita omne inhærens, omnis propria dignitas & solutio excludatur, nostriq; justificatio soli misericordiaz divinæ in totum feratur accepta.

XXXIX. Proinde, sicut in isto, cum David conqueritur, Oderunt me gratis, tria norantur. 1. Quod David non fuerit promeritus istud odium. 2. Quod non modò non fuerit promeritus, sed ne quidem levissima in illo extiterit causa, quæ ad odium commovere alios potuisset. 3. Quod contrarium potius, videlicet amorem & favorem promeruerit. Sic Paulus, nos gratis justificari asserens, tria voluit indicare. 1. Quod in nobis nullum sic



fit meritum justificationis & salutis. 2. Quod ne minime in nobis inveniatur, quæ Deum moverit ad impertientiam justitiam. 3. Quod pœnas potius & æternam mortem simus promeriti. 1. illud Augustini serm. 15. de verbis Apostoli: *Proxius gratis das, gratis silvas, qui nihil invenis, unde salves? & multum invenis, unde damnes.*

## QUÆSTIO VI.

*Fides quid significet?*

XL. Latinis plerumq; notat fidelitatem in dicente, vel veritatem in servandis promissis. Unde Cicero fidem dictam putat, quia id fiat, quod ab aliquo dictum promissumvè est, quasi isthæc duo verba *Fuit dictum*, commixta sint. Sed convenientius est ἐτυμωσθαι si fidem à *fidendo* derivemus. Græcè πίστις dicitur à πείθω, quod est suadere vel suadendo doceo, Act. 19, v. 8. c. 28, v. 23. Ut igitur πείθω notat inculcare aliquid & persuadere: Sic illud, quod suadendo in corde humano efficitur, πίστις indigitatur. Hebræi fidem communiter appellant אֱמוּנָה à rad. אָמַן quæ in passivo significat firmum & stabilitum esse, unde oritur illud precatationis sigillum & obsignaculum Amen, id est, ratum firmumq; sit. Atque hinc אֱמוּנָה fides nihil est aliud, quàm certa stabilisq; persuasio de promissionibus Dei.

*Fidei derivatio.*

XLI. Significationes fidei quod spectat, variæ leguntur, tum in profanis, tum in sacris authoribus. Apud profanos denotat. 1. fidelitatem in servandis dictis, firmam persuasionem & assensum. 3. Certam immoramq; fiduciam. 4. Argumentum fide dignum. Patrem distinguunt inter credere Deo, quod est credere vera esse, quæ ille loquitur; Inter credere Deum, seu quod sit DEUS, & inter credere in DEUM, quod est ipsi confidere. Hinc Bernardus ait, fidem aliam esse præceptorum, quâ credimus Deo: aliam signorum, quâ credimus DEUM: aliam promissorum, quâ credimus in DEUM.

*Significationes Fidei.*

XLII. In Scriptura varijs vicissim modis accipitur, 1. pronuda fidei professione Iac. 2, v. 14. 2. Pro vera de fide doctrina,





Rom. 1, v. 5. Eph. 4, v. 5. 1 Tim. 1, v. 19. III. pro assensu Job. 4, v. 50. Act. 13, v. 8. Etc. 14, v. 22. IV. Pro *πληροφροσυνα* vel fiducia Matth. 8, v. 10. & c. 15, v. 28. Luc. 17, v. 5. V. Pro constantia in religione Rom. 1, v. 8. VI. pro toto cursu vitæ & pietatis, 2. Cor. 1, v. 24. VII. pro conscientia. Rom. 14, v. 23. VIII. Pro fide miraculosa. Matth. 17, v. 20, 21. Marc. 11, v. 22. 1. Cor. 13, v. 2. IX. Pro constantia in servandis promissis, Psal. 25, v. 10. Psal. 86, v. 15. Rom. 3, v. 3. X. Pro fidelitate in faciendo officio, Tit. 2, v. 10. XI. Pro iustitia, Psal. 119, v. 75. XII. Pro rebus creditis, seu impletione promissionum, Gal. 4, v. 25.

Quatuor prin-  
cipalia fidei  
significata.

XLIII. Ex his verò omnibus quatuor imprimis significatio-  
nes sunt maximè illustres, & probè observandæ. Nam I. Fides  
denotat fidelitatem animi & constantiam in servandis promissis, quæ vo-  
catur vulgò fides activa vel contractuum. Es. 11, v. 15. Jer. 7, v. 28. Rom.  
3, v. 3. II. Assensum & persuasionem firmam quæ est fides passiva, &  
relationem habet ad dicentis fidem activam seu veracitatem. Exod. 14, v. 31. Ish. 5, v. 46. Iac. 2, v. 19. III. Objectum, cui Assentimur,  
seu ipsam doctrinam cælestem divinitus revelatam, Gal. 1, v. 23. c. 6, v. 10. Tit. 1, v. 13. IV. Fiduciam animi vel confidentiam, ubi sic alicui  
assentimur, ut simul nos totos ipsi concedamus, & omnibus co-  
gitationibus in eo confidamus: Ad assensum igitur hæc quarta si-  
gnificatio addit *πληροφροσυνα* ac fiduciam animi, in particulari  
promissionum apprehensione consistentem. Atq; hoc sensu in  
presenti controversia accipitur & usurpatur passim ab Apostolis,  
cum hominem fide justificari scribunt, id quod alibi fusiùs de-  
monstratum est.

Ad tres classes  
referrì possunt  
omnis fidei ac-  
ceptiones.

XLIV. Recentiores ad tres classes referunt omnes fidei si-  
gnificationes, quando scribunt illam significare. Primo veritatem & constantiam in dictis & factis, quo pacto notat. I. Dei fidelitatem. Rom. 3, v. 3. II. Hominum veracitatem Jer. 7, v. 28. III. Constantiam in retinenda doctrinæ cælestis veritate. Rom. 1, v. 8. IV. Pactum cum Deo initum in Baptismo vel professionem fidei, 1. Tim. 5, v. 12. Secundò fidem passivam, quâ credimus & assentimur Dei verbo, quâ ratione significat. I. Fidem historicam. Exod. 14, v. 31. II. Generalem assensum Iac. 2, v. 19. III. nudam fidei professionem & jactantiam Iac. 2, v. 14. IV. fidem miraculorum Matth. 17, v. 20. V. Fidem justificantem. Rom. 3, v. 26. Tertio objectum fidei



fidei vel doctrinam cœlestem divinitus revelatam quo pacto de-  
notat. I. totam doctrinam in genere Galat. 6, v. 10. II. doctrinam  
Evangelij in specie Rom. 3, v. 27. III. Prædicationem adventus  
Christi, Gal. 3, v. 23. IV. fundamentales doctrinæ cœlestis articu-  
los Rom. 12, v. 6.

## QUÆSTIO VII.

*Quas significationes habeat imputatio?*

XLV, Vocabulum hoc in epistolis Paulinis sæpè reperitur  
ut Rom. 4, v. 3 & 5 seqq. sed diversimodè exponitur. *Osiandristus* im-  
putare justiciam idem est quod implantare & inserere, sicut am-  
putare est auferre. *Bellarminus* veritati opponit vocem istam,  
ideoque justiciam imputatam crebrò appellat *putatitiam* & *imagi-*  
*nariam*. Alias fidem imputari ad justiciam sic exponunt, quod ad  
justiciam acquirendam fides tanquàm dispositio necessaria prærequiratur.  
Sunt autem distinctæ phrasæ. 1. *Christi justiciam imputari*. 2. *fidem*  
*ad justiciam imputari*. De utraque paucis agemus.

XLVI. 1. De imputatione justitiæ. Hanc propositionem, *Phrasis hæc,*  
*Justitia Christi nobis imputatur*, in Scripturis extare, negant Pontifi- *Justitia im-*  
cij, præsertim *Costerus* in *Enchirid.* in p. 254 & *Bellarmin.* lib. 2. cap. *puratum,*  
7. sed absq; ratione. Nam disertè extat Rom. 4, v. 6. II. & perinde extat in Scri-  
pturis.  
lunt ea, quæ ex Scripturis intelliguntur, atq; ea, quæ scribuntur, *pturis.*  
juxta regulam *Nazianzeni*. Justiciam verò Christi nobis imputari,  
facile intelligitur ex eo, quòd Christus dicitur nobis factus à Deo  
justitia. *Cor. 1, v. 30.*

XLVII. Ut autem de ipso vocabulo aliquid dicamus, im-  
putatio in genere significat translationem alicujus rei, cum alteri  
ab altero aliquid attribuitur, quod diversis modis contingit,  
unde *Flacius* imputationem dicit esse geminam. Primam *Imputatio du-*  
vocat *essentialis*, cujus duos modos recenset. 1. Cum res *plex est.*  
vera & existens in rationes refertur, tanquàm alicujus mo- *Essentialis,*  
menti & non negligenda, ut *Psal. 144. vers. 3. Quid est filius hominis,*  
*quod imputas aut reputas eum?* 2. Cum rei aut facti suum  
præ-



præmium aut pretium, bonum aut malum deputatur ordinatur-  
vè. Hoc sensu peccatum imputari vel non imputari dicitur.  
Imputari est idem, quod observari, annotari, & certæ pœnæ ad-  
judicari. Non imputatur autem cum oblivione contractum se-  
pelitur & nulla ei pœna decernitur. Alteram imputationis spe-  
ciem vocat *rationalem*, quæ fit solâ cogitatione, & hanc rursus di-  
cit esse. 1. vel *rei seu personalem*, cum res ab alia persona ad aliam  
solâ cogitatione transferrur. Sic justitia Christi ab ipso ad nos;  
& rursus nostra in justitia ad ipsum voluntate & decreto Dei  
transfertur eiq; imputatur. 2. Vel *pretij seu realem*, cum dignitas  
valor aut pretiositas alterius rei ad aliam rem cogitatione trans-  
scribitur. Sic amico nobilitas pro virtute apud Regem est forma  
puellæ pro dote & contrâ.

*Rationalis.*

*Imputatio rei  
male.*

*Imputatio rei  
bonæ.*

*Imputatio se-  
cundum debi-  
tum & gra-  
tiam.*

XLIX. Sed convenientius significata imputationis exprimi  
possunt, si dicatur, quod imputare sit *alicui rem vel rei causam, quâ ha-  
bet vel non habet bonam vel malam adscribere*. Imputatio rei *mala* du-  
pliciter fit; vel *jure & debite*, cum res mala vel ejus causa verè ali-  
cui inest, ut cum reo imputatur culpa & propterea damnatur: Sic  
Deus impenitentibus peccata jure imputat: vel *indebite & injuriâ*,  
cum res vel rei causa non inest, ut cum culpa imputatur innocen-  
ti. Sic homines pœnarum causas injustè imputant terræ, cœlo,  
& similibus. Imputatio rei *bonæ* fit tripliciter. 1. *jure & debite*, cum  
res quæ imputatur, inest & debetur, & tunc impropriè dicitur  
imputari, seu dari, vel tribui. Sic Apostolus dicit, operanti im-  
putari, id est, dari ex debito. 2. *Injuriâ*, cum injusto imputatur  
justitia & reus absolvitur contra leges. 3. *Gratiâ*, cum injusto im-  
putatur justitia & reus absolvitur, non ex debito, sed gratia, cau-  
sas tamen justas habente. Sic fides justitiam, vel justitia per fidem  
imputatur.

XLIX. In scripturis autem, duæ tantùm imputationis  
species recensentur à Paulo Rom. 4. v. 34. 5. Una secundum de-  
bitum, altera secundum gratiam. Illa respicit opera & legem, hæc  
fidem & Evangelium: Illa realis, hæc rationalis dici potest. Im-  
putatio secundum debitum est, cujus fundamentum extat in ipso  
operante, cui fit imputatio, id quod Apostolus sic effatur  
Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur ex debito*. De hac etiam  
im-



imputatione sermo est 2. Sam. 19. v. 19. Rom. 4. v. 8. c. 5. v. 13. 2. Tim. 4. v. 16. Imputatio secundum gratiam est, cujus fundamentum non habetur in eo, cui fit imputatio, sed in gratia & misericordia Dei, justificantis impium. Paulus ita effert: *Ei autem, qui non operatur, credenti verò in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Atq; tali gratuita imputatione justitia Christi nobis imputatur, uti contextus Paulinus luculenter indicat.

L. Atq; hinc colligit Chemnitius 1. In credentibus non esse fundamentum illud, cujus ratione & respectu justitia ad beatitudinem imputetur. 2. Contrarium reperiri fundamentum, si Deus veller in judicium intrare, quod tegendum est, ne imputetur, nempe peccatum 3. Esse illam imputationem relationem mentis & voluntatis divinæ, dum ex gratuita misericordia propter Christum credentibus peccata non imputat, sed potius illis imputat justitiam, id est, habentur coram Deo in judicio ejus, ac si perfectam haberent justitiam inhaerentem, & ideò tanquam justis datur eis salus & vita æterna. Ex quo patet, duos in justificatione concurrere imputationis modos, unum *νεγαντικόν* *Duo imputationis actus in justificatione.* privativum, quem alij vocant *imputationem negatam*, estque rei, quæ in homine existit, & imputari deberet, non imputatio, & consistit, tum in oblivione & non annotatione peccata, tum in dimissione reatus; alterum *θετικόν* positivum, quem nuncupant *imputationem affirmatam*, quando nobis justitia imputatur. Est hæc ejus rei, quæ in nobis non existit, & quam minimè promeruimus, ac si in nobis existeret, attributio, quando videlicet Deus pro verè justis & sanctis hominibus nos habet, cum tamen tales per nos ipsos non simus.

LI. Quoniam verò judex mundanus, sine fundamento justificans impium, abominatio est Domino, Ex. 23. v. 1. Deut. 25. v. 1. 3. Reg. 8. v. 32. Prov. 17. v. 15. Esa. 5. v. 23. multò minus Deus aliquem justificabit sine fundamento & justitia, h. e. nisi juxta legem satisfactum sit pro peccato, & lex perfectâ obedientiâ fuerit impleta. Hoc fundamentum imputatæ justitiæ cum in credentibus non hæreat, necessum est, ut extra eos sit in alio, qui solus est Christus, qui à Deo Patre factus nobis est propitiator & Mediator, qui pro nobis legi subjectus eam perfectissimè

D im.



implevit, Gal. 4. v. 4. & 5. factus à Deo nobis justitia, 1. Cor. 1. v. 30. ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult. Esa 45. v. 24. & v. ult. Nam per unius obedientiam justii constituuntur multi, Rom. 5. vers. 19.

Quomodo im-  
pius justifice-  
tur & non ju-  
stificetur?

LII. Arque hinc intelligitur, quomodo concilianda sint hæc duo: Qui justificat impium, abominatio est coram Deo, Prov. 17. v. 15. Et credenti in eum qui justificat impium, Rom. 4. v. 5. Nam ibi intelligitur impius, qui nec ipse, pro quo nec alius satisfecit: hic autem impius, qui non ipse quidem, pro quo tamen satisfecit alius. Proinde cum Deus Rom. 4. dicitur imputare justitiam, dupliciter id accipi debet, monente Flacio in clave, pagin. 422. nempe primum ratione causæ, deinde ratione effectus. Nam 1. indicat ista locutio, justitiam Christi in credentem transcribi, sicut contra nostra injustitia potenter à Deo in Christum transcripta est; atque hæc est proprie causa nostræ justitiæ. 2. Indicat etiam effectum, nempe aliquem haberi pro justo, qui non talis sit, quod ipsum porro declarat exemplo imputationis contrariæ, dum Christo nostra imputabatur injustitia, ideoque & ipse pro injusto habeatur. Vide ipsa Flacij verba satis emphatica & ponderosa.

Sensus Phrasæ  
Fides im-  
putatur.

LIII. II. De Imputatione Fidei. Cum fides imputari dicitur ad justitiam, non accipitur absolutè, prout virtus quædam & opus bonum est, sed relatè, prout instrumentum & manus est, meritum Christi recipiens, apprehendens, sibi applicans & adproprians. Sensus igitur phrasæ hujus erit iste: Habemur & reputamur justii coram Deo, quia apprehendimus per solutionem & satisfactionem à Christo pro nobis factam; unde statim apparet, perinde esse, sive dicas fidem nobis imputari ad justitiam, sive justitiam nobis imputari per fidem. Utrobique enim nihil aliud significatur, quàm quòd justii simus & reputemur coram Deo, nullam ob causam aliam, nisi ob satisfactionem Christi, quam fide apprehendimus & nobis propriam facimus.

Interpretatio  
Costeri.

LIV. Costerus pag. 154. talem affert interpretationem: Fides imputatur ad justitiam, hoc est, fides charitate formata, est ipsa justitia nobis inherens, quæ coram Deo justii sumus. Ac præterquam, quòd nil nisi mera sit principii petitio, multifariam errat, 1. Quis loqui-



loquitur de habitu fidei, prout virtus est: Scriptura verò de actu fidei, quatenus apprehendens instrumentum est, *Credidit Abraham*, habet textus, & hoc imputatum est ei ad justitiam. Actus ille, non habitus imputabatur. 2. Aliud est justitiam esse, aliud ad justitiam imputari. Sicut enim causa nequit esse effectus, ita fides, quæ causa est imputationis ad justitiam, non potest esse ipsa justitia, vel ipse terminus. 3. Opera secluduntur è circulo Justificationis nostræ. Ergò fides quæ opus non erit nostræ justitiæ. Hæc autem omnia, cum infra simus declaraturi fusiùs, ultra nihil addimus, sed ad causarum potius explicationem accessum faciemus.

## DE CAUSA JUSTIFICATIONIS Efficiente.

### QUÆSTIO UNICA.

Quænam sit vera causa efficiens nostræ  
Justificationis?

LX. Satis crassè nonnunquam de hac loquuntur Pontificij. *Crassa Pontificiorum opinio.* Nam in compendio Theolog. verit. l. 6. c. 32. hæc extant: *In Justificatione impij, est aliquid ex parte Dei, aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex parte Ecclesiæ.* Ex parte Dei duo; misericordia, quæ malum indulget, & Justitia, quæ emendam aliquantulam exigit, vel hic, vel in futuro purgatorio. Ex peccatoris parte sunt etiam duo, scilicet Dei amor & dolor, & hæc sunt duæ mola, quibus peccatum conteritur. Ex parte Ecclesiæ similiter sunt duo, primum meritum Christi & sanctorum: secundum indulgentia per Papam & Episcopos.

LVI. Sed Jesuwitæ lupinam melius sciunt tergere, & oè Jo-  
doxiæ videntur defendere. Ita enim scribit Bellar. l. 1. de Justifi-  
c. 2. *Causa efficiens primaria est bonitas & misericordia Dei, efficiens per mo-  
dum meriti est Christi passio, efficiens per modum instrumenti conuncti est  
ipsa CHRISTI humanitas, per modum instrumenti separati sunt ver-  
bum & Sacramenta, & qui illa nomine CHRISTI administrant.*



Costerus in Enchirid. mihi p. 259. inquit. *Deus solus efficiens causa est justificationis, cujus solius est dare gratiam, juxta illud, Gratiam & gloriam dabit Dominus.* In hujus igitur causæ expressione nobiscum consentire videntur pontificij. Nostra enim sententia sic habet, quòd primaria & summa justificationis causa efficiens sit Dei Opt. Max. gratuita bonitas, Tit. 3. v. 4. gratia Rom 3. v. 24. Misericordia Eph. 2. v. 4. 1. Pet. 1. v. 3. bene placitum voluntatis ipsius Eph. 1. v. 9. dilectio & charitas, 1. Ioh. 4. v. 9. & 10. Rom. 5. v. 8. Ephes. 2. v. 4. Tit. 3. v. 4.

LVII. Neque verò Scriptura in genere tantum hanc bonitatem Dei nobis commendat, verum eandem adhuc specialius declarat, quòd videlicet consistat, tum in redemptione generis humani, tum in applicatione factæ redemptionis. Cum enim Deus ab æterno prævidisset miseriam generis humani, fecit decretum de miserando filio suo ex mera gratia & misericordia, Tit. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 9. illumque in plenitudine temporis misit, & pro nobis omnibus tradidit, Rom. 5. v. 8. 1. Ioh. 3. v. 9. Luc. 1. v. 78. & 54. Ioh. 3. v. 16. Neque solum hanc redemptionem fieri curavit, sed eandem etiam ex gratia distribuit & applicat, dum Filium suum, tanquam propitiatorium proponit, Rom. 3. v. 25. ante faciem omnium populorum, Luc. 2. v. 32. instituens & conservans ministerium reconciliationis, 2. Cor. 5. v. 18. per quod nos vocat ad suam gloriam, 1. Petr. 5. v. 10. Galat. 1. v. 15. 2. Tim. 1. v. 9. quin & idoneos nos reddit ad participationem sortis sanctorum, Coloss. 1. v. 12. dat poenitentiam, Act. 5. v. 31. & fidem 1. Tim. 1. v. 14. & remissionem peccatorum, Eph. 1. v. 7. 1. Ioh. 3. v. 1. & perseverantiam, Rom. 5. v. 2. 1. Petr. 5. v. 10. Act. 14. v. 26, 15. v. 40. 20. v. 32. Hi verò thesauri & ostentationes misericordix divinæ, tribuuntur toti Trinitati, cum opera ad extra solent esse indivisa; Patri qui charitatem dedit nobis, 1. Ioh. 3. v. 1. Filio, qui semetipsum pro nobis tradidit, Gal. 2. v. 20, Eph. 5. v. 25. & pauper factus est, 2. Cor. 8. v. 9. Spiritui sancto, qui nos sanctificat, 1. Pet. 1. v. 2. Rom. 5. v. 5. 1. Cor. 6. v. 11.

*Argumentum  
contra Pontificios.*

LIIX. Ex hujus verò causæ annotatione firmissimum potest argumentum peti contra Pontificiorum justitiam infusam, Nam si ex sola Dei gratia & bonitate justificamur, utique non ex operibus. Gra



Gratia enim non est gratia ullo modo, si non est gratia omni modo. quem admodum Augustinus alicubi loquitur, & Paulus testatur, Rom. ii. v. 6. Atqui eâ solâ Dei gratiâ justificamur. Ergo non ex operibus. Unde porro sequitur, quod hic ὑπερβολῆν foveant Pontificij. Nam fatentur quidem, Deum esse unicam & principem nostræ justificationis causam, sed isto sensu dicunt hoc & intelligunt, quia solus infundat qualitatem dilectionis, quam postea justî simus coram Deo. Contra ipsos igitur notetur, quod justificatio ita divinæ gratiæ adscribatur, ut simul excludatur omne id, quod in nobis hæret, ita quidem ut illa sola sit, & nulla virtus infusa, quæ nos justificet. Ita enim Scriptura loquitur, Esa. 43. v. 25. & 26. Ego, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: Narra, si quid habes, ut justificeris. Et Ezech. 36. v. 25. & 32. Mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris; Non propter vos ego hoc faciam, notum sit vobis hoc, ait Dominus, confundimini, & erubescite super viis vestris. Potes huc referre omnia dicta, quæ exclusivam continent: Simulque hoc Augustini ad artic. falsum respon. 2. *Ut reus damnetur, inculpabilis est DEI gratia.* Dignum enim est, inquit Gregor. in Psal. pœnit. *ut per eum fiat remissio, per quem facta est creatio, & ipse sit largitor gratiæ, qui omnibus fuit author nature.*

De

CAUSA IMPELLENTE.

QUÆSTIO UNICA.

*An & quæ Justificationis causa impellens sit?*

LIX. Quantumvis nihil dari possit, quod propriè DEUM moverit & ad misericordiam efficaciter impulerit; solent tamen orthodoxi Patres pro causa *πρηγοατα πύλην* allegare miseriam generis humani. Est enim misericordia *affectus ex intuitu miserie prognatus*, unde dicunt, quod Deus commotus fuerit, per summam illam miseriam, in quam homo devenerat per seductionem diaboli. Atq; sic calamitas illa non est propriè impellens, *Misericordia quid sit.*



lens, sed duntaxat quodammodo iritans causa misericordiae  
 divinae, unde canit Ecclesia: *Da jammerts Gott in Ewigkeit/  
 Mein Elend ober die massen/Er gedacht an seine Barmher-  
 zigkeit/Er wolt mir helfen lassen.* Hoc ipsum verò in scriptu-  
 ris etiam satis expressum est. Ita enim scribit D. Paulus Act. 13. v. 38.  
*Quia non potuistis lege Moysi justificari, Et Actor. 15. v. 10. Quia jugum le-  
 gis nemo potuit portare, idè 1. Joh. 3. v. 8. Filius Dei venit, ut destruat opera  
 diaboli, quod juxta Rom. 8. v. 3. impossibile erat legi ob carnem, ut eos, qui  
 sub lege erant, redimeret, Gal. 4. v. 5. Hebr. 2. v. 15. Atque huc pertinet  
 etiam illud, Rom. 5. v. 8. Commendat Deus suam charitatem erga nos,  
 quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Et Joh.  
 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, &c.*

*Argumentum  
 contra Papisti-  
 cas dispositio-  
 nes.*

LX. Hujus vero causae annotatio, itidem usum quendam  
 exhibet contra Pontificios, asserentes in hominibus justificandis esse  
 quasdam qualitates, quas Deus respiciat, & propter quas acceptet homines  
 in gratiam & ad vitam aeternam. Ita enim sentit Bell. l. 1. c. 2. quòd  
 ante justificationem in homine fiat necessariae quaedam dispositio-  
 nes, quae materiam praeparant ad recipiendam formam. Dicuntur  
 autem dispositiones ad justificationem (sunt verba Bellarmini) illi o-  
 mnes actus gratiae & liberi arbitrij, quibus donum ipsum justificationis ac-  
 quiritur, quales sunt ex sententia Concilij Tridentini session. 6.  
 c. 6, actus fidei, Timoris, Spei, &c. Contra hoc autem dogma sic ar-  
 gumentamur: Illa demum vera est causa *wegna rægnun* gratiae  
 & dilectionis divinae, quam ipsa scriptura manifestè assignat.  
 Sed solius meminit miseriae humanae, nusquam bonorum ope-  
 rum, nusquam aliquarum virtutum, nusquam praecedentium  
 dispositionum. Ergò hæc pro causa *wegna rægnun* venditari  
 non debent.

LXI. Neque est, ut excipiant, dici hæc de gratia Dei & dilectione,  
 ex qua nobis datus sit Mediator, non autem de gratia, quâ justificemur.  
 Nam una est, eademque Dei gratia & misericordia, ex qua fluunt  
 omnia omninò, quæ in nos conferuntur spiritualia beneficia,  
 Jacob. 1. v. 17. Ita igitur praesertim contra Bellarm. argumentamur  
 Quâ Dei gratia eligimur, eadem justificamur. 1. Ob consonanti-  
 am decreti & executionis. 2. Ob dicta Ephes. 1. v. 6. 2. Tim. 1. v. 9. & 10.  
 Deus servavit nos & vocavit vocatione sanctâ, non ex nostris o-  
 peri-





peribus, sed ex proposito & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia, sed patefacta est nunc per illustrem illum adventum Servatoris nostri. Atqui gratia Dei, quæ eligimur in Christo, nullo modo respicit opera virtutes aut dispositiones hominum, Rom. 9. v. 11. ad stipulante contra alios Pontificios Bellarmino l. 2. de gratia & libero arbitrio c. 10. 11. 12. Ergo & gratia, qua justificamur, nulla opera aut virtutes respicit.

LXII. Porro ita concludere possumus: Vbi est misericordia, ibi locum non habet operum aliqua dignitas, sed sola potius miseria. Nam, uti dictum, misericordia est affectus cordis ob miseriam. Atqui Deus servat nos suâ misericordiâ, Tit. 3. v. 5. Ergo miseria hominum, non operum aut virtutum aut dispositionum humanarum dignitas, causa impulsiva est gratiæ Dei in Christo non justificantis.

De  
CAUSA MERITORIA  
nostre Justificationis.

LXIII. Diximus summam & primam Justificationis causam esse gratuitam Dei misericordiam. Ne verò Deo contrariæ affingantur voluntates, ac si peccatorum & impiorum misereatur, quos tamen maximè averfatur: ideò nunc statim subjungenda est doctrina de merito Christi, ut sciatur, gratiam Dei non nisi in Christo esse considerandam. Proinde rectissimè scribit Chemnitius in locis mihi p. 347. *Extra Christum nulla aut gratia aut misericordia Dei erga peccatores, nec debet, nec potest rectè cogitari, nisi lex solvatur, destruat & intereat, quod impossibile est.* Et hinc sunt illæ voces Apostoli, *Dilexit nos in dilecto: Elegit nos in Christo Jesu ante tempora secularia.* Nam Deus ita est benignus & misericors, ut simul etiam sit justus. Ne itaq; justitia ipsius veniret in discrimen, opus erat satisfactione pro mundi peccatis, sine quâ fieri non poterat, ut in gratiam reciperetur.

LXIV. Firmissimè igitur teneas hanc regulam: Ita est DEI misericordia adstruenda, ne ejus labefactetur justitia & ita justitia, ponenda justitiæ deus.

*Extra Christum nulla est gratia.*

*Dei misericordia non est opus deus.*



ne destruat<sup>r</sup> misericordia. Non enim solam sine misericordia justitiam, nec solam sine justitia misericordiam, sed in misericordia justitiam, & in justitia misericordiam, adeoq; misericordem justitiam & justam misericordiam in Deo agnoscere & docere debemus.

LXV. Atq; tale admirandum & divinum quoddam justitiæ ac benignitatis temperamentum cernitur in redemptione generis humani. Conspicitur ibi *infinita justitia*, justissimo judicio puniens peccata: hæc tamen justitia non impedit *benignitatem*, erigentem & restaurantem genus humanum, nimirum propter intercessionem & satisfactionem Mediatoris, quæ efficit, ut & justitiæ Dei satis fiat, & tamen etiam locus concedatur benignitati divinæ. Damnavit ergo Deus totum genus humanum propter peccatum, quia justus est: Idem recipit in gratiam propter Christum, quia & misericors est. Extra Christum igitur non consideranda est gratia divina. Hoc enim unicum est nomen, in quo placere Deo & salvi esse possumus, *Act. 4. vers 12. Eph. 1. vers. 6.*

LXVI. Neq; verò quemquam turbet, quod Christus inquit *Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, &c.* Ubi videtur dilectio præcedere decretum de missione Mediatoris. Non enim negamus, Mediatorem esse donum gratiæ divinæ, sed tamen hoc simul firmiter tenemus, sic esse prædicandam Dei bonitatem, ne ipsius negetur justitia, Quare hic elucet admiranda illa justitiæ & misericordiæ divinæ contemperatio. Deus diligit mundum peccatis contaminatum, ast odisse debuerat & punire juxta sententiam latam *Gen. 2. v. 17.* Nam justitia, quæ peccata diligit, eaq; non punit, justitia non est, sed abominatio, *Prov. 17. v. 15. Es. 5. v. 23.* Atqui Deus est ipsa essentialiter justitia. Ergo peccata punire & ulcisci debebat. Hoc igitur sensu intelligendum est illud, quando dicimus, Extra Christum nulla salus, nulla gratia, ut videlicet illæsam servemus justitiam divinam, cui nisi per Christum satisfactum fuisset, genus humanum teste Scripturâ non diligi ne in gratiam recipi potuisset.

LXVII. Atque his præmij loco de causa meritoria præmissis, ad ipsam tractationem accedimus, ubi variæ, diversæq; occur-



occurrunt controversiæ, dum nonnulli merito Christi haud parum detrahunt, alij partem ejus, alij totum meritum impugnant. Nam 1. Pontificij multis hypothesebus *λύτρον* Christi enervant. 2. Piscator cum assediis obedientiam activam à merito excludit. *Tria agmina errorum de merito Christi.* 3. Recentes Photiniani longius progressi, omne meritum & satisfactionem Christi penitus inficiantur. De primis erroribus hac disputatione agemus: controversiam verò Photinianam cum *sti.* explicationem requirat prolixam, sequentibus disputationibus reservatam volumus.

## QUÆSTIO I.

*Quinam sint præcipui errores Pontificiorum circa meritum Christi?*

LXII X. Nolunt Romanenses videri, quòd meritum Christi vel enervent vel illi aliquid detrahant. Ita enim habet Concilium Trident. sess. 6. c. 7. Meritoria (causa) est dilectissimus DEI unigenitus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, per nimiam caritatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit. Et Bellarm. l. 1. de justificat. c. 2. disertè ait: Efficiens justificationis per modum meriti est Christi passio. Sed hæc palia sunt, quibus errores suos obvelare solent, ne primo statim tempore à simplicioribus animadvertantur. Nam in scriptis Papisticis ejusmodi assertiones passim reperiuntur, ut iis stantibus, meritum Christi salvum illæsumq; stare ac permanere haut valeat. Ut præcipuos tantum errores attingamus, septem illorum numerari possunt.

LXIX. Primus error. Negant, Christum esse Mediatorem secundum utramq; naturam. Totum quidem Christum esse principium *Pontificiorum error.* Quod mediationis scribit Bellar. l. 5. de Christo c. 1. Principium 1. Christum non esse Mediatorem secundum utramq; naturam. Quo autem solam esse humanitatem, quod ex Lombardo procul dubio hausit, l. 3. dist. 19. lit. 5. At verò neutra humana ab officio Mediationis excludi debet. Non humana, quoniam divinitas pati non poterat. Non divina, quoniam solius humanitatis *passio turam.*



passio nequit esse infiniti meriti. Pati poterat humanitas sola; sed pati pro mundo non poterat. Sic divinitas mundum potuit reconciliare, sed pati non potuit, cum sit impassibilis. Pati igitur pro mundo, nec soli humanitati, nec soli divinitati, sed utrique naturæ competit. Arque hoc est, quod Augustinus alicubi scripsit: *Sola humanitas sine divinitate non est Mediatrix, nec sola divinitas sine humanitate; sed inter humanitatem solam, & inter divinitatem solam Mediatrix est humana divinitas & divina humanitas.*

2. Christum in passione iram Dei non sensisse.

LXX. Secundus error. Minimè concedunt, CHRISTVM in passione iram DEI sensisse & cruciatus infernales sustinuisse. Nova, scribit Bellarm. l. 4. de Christo cap 8. & inaudita impietas est, quod Christus passus sit dolores inferni. Nos autem quantumvis lubenter demus, Christum nec desperasse unquam, nec in descensu ad inferos, quippe post resurrectionem facti iram Dei primùm persensisse: nihilominus tamen tum in horto, tantos sustinuit angores, ut sanguineum sudorem emitteret, & querulâ voce clamaret: *Tristis est anima mea usq; ad mortem*, Matth. 26. v. 38, tum in cruce iram Patris ita persensit, ut diceret, *DEVS meus, DEVS meus, quare me dereliquisti?* Idem confirmant querelæ Psaltis in persona Christi prolatae. *Psal. 16. v. 10. Psal. 18. v. 6. Psal. 49. v. 6. Psal. 69. v. 15. 16. Psal. 86. v. 13.* Et sanè Christus nec perfectè pro nobis satisfecisset, nec maledictum pro nobis factus esset, nisi iudicium Dei irati persensisset.

3. Christum perfectè pro culpa & peccata non satisfecisse.

LXXI. Tertius error. Negârunt nonnulli, CHRISTVM perfectè pro peccatis pœnisq; peccatorum nostrorum satisfecisse. Quondam disputatum est, Christum duntaxat pro peccato originali fecisse satis, pro actualibus nostram requiri satisfactionem. Catharinus statuit, Christi passionem prodesse quidem pro actualibus peccatis ante Baptismum, sequentia verò esse Missis & bonis operibus expianda. Recentiores, quamvis dicant Christum pro peccatis omnibus & pœnis æternis satisfecisse, nihilominus remanere scribunt debitum pœnae temporalis: imò potestate clavium sempiternam & peccatis debitam pœnam mutari in temporalem, ut pro ea satisfacere possimus. His ipsis autem assertionibus non parum enervatur meritum Christi. Quantum enim nostris opellis & satisfactionibus tribuitur,

tan-





tantum Christo detrahatur, qui tamen solus torcular calcasse dicitur, Esa. 63. v. 3. Neque verò quisquam valet consueta exceptio, satisfactionem Christi & nostram non esse opponendam, cum nostra opera omnem vim satisfaciendi & merendi à Christi satisfactione accipiant. Nam 1. Scriptura hunc usum fructumque meriti Christi nusquam proponit, sed potius. 2. Fidem in Christi meritum & opera nostra semper opponit. 3. Sequeretur etiam, Christi satisfactionem fuisse imperfectam, cum opus habeat additamento nostrorum operum. 4. Imò in propria causa essemus Mediatores, si opera nostra forent satisfactoria.

LXXII. Quartus error. *Precium & valorem satisfactionis Christi* 4. *Valorem satisfactionis* non in infinita meriti efficacia constituunt, sed in misericordia divina acceptione, quâ DEVS passionem Christi ex tanta caritate profectum, non constituto loco satisfactionis habuerit. Ita enim scribit Durandus in lib. 4. sent. unt in infinit. dist. 15. Christus secundum strictum iustitiæ rigorem non potuit satisfacere, ta meriti efficacia, quia quicquid erat in Christo secundum humanam naturam, erat obligatum Deo, & ei debitum: ideo non potuit esse satisfactio de condigno pro quocumque peccato, considerando naturam operis vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundum acceptionem gratuitam. Opinionem hanc esse erroneam vidit ipse Bellarminus, ideoque illam improbat l. 2. de Justificat, c. 2.

LXXIII. Quintus error. Afferunt, Mariam virginem fuisse Christi adjutricem in opere Redemptionis. Nam contritionem capitis serpentini Genes. 3, ipsi attribuunt & suam unam spem ac fiduciam in illa ponunt. Imò expressè scribunt in Mariali, Argentina edito l. 1. c. 5. Ad ultimum fuit Dominus cum ea (Maria) & ipsa Domino in eodem labore & in eodem opere redemptionis. Mater misericordie adjuvit Patrem misericordiarum in opere nostre salutis, unde prædictum est de prima muliere, Faciamus ei adjutorium. Quid est ergò, quòd Dominus dicit Esa. 63. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est Domine, quòd non fuit vir tecum, sed mulier unà tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti corpore, suscepit in corde.

5. Afferunt, Mariam fuisse adjutricem.

LXXIV. Sextus error. Cum Christi merito partim aliorum sanctorum merita, partim nostra opera conjungunt, adeoque illud imperfectionis



arguant. Nam quotidie orant ex hortulo animæ: Precibus & meritis B. Maria semper virginis & omnium sanctorum, perducant nos Dominus ad regnum caelorum. Docet hoc ipsum inculcatq; Biel lect. 29. in Canonem missæ: Nos, inquit, ad Mediatores sanctos, eorumq; auxilia confugere debemus, ac debitâ veneratione eos semper implorare, ut salvemur eorum meritis ac votis. Præter sanctorum merita requirunt etiam propria, uti contendit Petrus de Palude in 4. sent. dist. 20. quæst. 1. Pro parvulis sufficit meritum Christi; quia non possunt mereri, sed adultis non sufficit meritum Christi cum Baptismo, sed tenentur addere meritum proprium. Atq; hinc est, quod Biel negat l. 3. sent. dist. 19. conclus. 8. Passionem Christi esse solam & totalem causam salutis nostræ meritoriam. Rectè autem Bernhardus scripsit serm. 67. in Cant. Deest gratia, quicquid meritis deputas.

7. Meritum Christi habent pro instrumento iustificationis. LXXV. Septimus error. Meritum Christi non habent pro causa efficiente nostræ justificationis, sed tantum pro instrumento. Thomas enim de Aquino scripsit, Christum esse causam justificationis per ministerium, & instrumentaliter tantum operari salutem humanam. Crassior tunc Bonaventura, qui apertè inquit: Passionem Christi propriè non potest tribui causalitas justificationis. Ad nullum enim genus causarum pertinet. Habet tamen aliquam proprietatem cause per modum meriti intervenientis, quod habet rationem dispositionis & reducitur ad causam materialem. Recentiores Christum quidem causam vocant efficientem per modum meriti, sed falsò & vitiosè hoc exponunt. Sic enim intelligunt, quòd Christus passione suâ promeruerit, ut novæ nobis infundantur qualitates, quibus formaliter iusti reddamur; vel quòd solum Christi meritum nobis comparaverit primam gratiam, & ante remissionem peccatorum nullius hominis opus sit meritorium, uti explicat Cisterius in Enchirid. m. p. 260.

LXXVI. Sed meritò se opponunt Orthodoxi, cum quibus & nos statuimus, Christum minus rectè ab efficientia justificationis excludi, sed falsò instrumentalem duntaxat causam appellari. Scriptura quidem Christum vocat servum & ministrum Matth. 20. v. 28. Hebr. 5. v. 7. & in specie ministrum circumcisionis vel circumcisorum, Rom. 15. v. 8. Hoc autem ministerium non tollit propriam salutis efficientiam. Christus enim minist.



ministrando & nobis inserviando salutem verè operatus est: undè patet, quòd per illum ministerium, non modus causandi, sed finis in carnationis denotetur. Venit enim Christus ad ministrandum nobis, hoc est, ad salutem perditam iterum recuperandam.

LXXVII. Neque officit, quod Patres humanitatem, quandoque *instrumentum divinitatis* dixerunt. Non enim quærimus de humanitate Christi, ad divinitatem collata, sed de toto Christo ratione justificationis, an verè statuatur, Christum nil nisi instrumentum esse & causam ministerialem nostræ justitiæ, non verò propriè efficientem? Hoc à Patribus affirmatum non est; Et si affirmaretur, foret nihilominùs falsissimum. Christus enim est author vitæ, est Christianorum Dominus, est Jehova justificatio nostra: Qui ergò justificationis tantùm esset instrumentum? Ipse carnem suam dedit pro mundi vita, *Johan. 6. v. 51.* Ejus sanguis effusus est in remissionem peccatorum, *Matth. 26. v. 28.* & emundat nos ab omni peccato, *1. Johan. 1. v. 7.* Nec ullum est nomen aliud, in quo Deo placere & salvi esse possumus, *Apor. 4. v. 12.* Quæ omnia luculentum testimonium præbent, CHRISTUM justificationis efficientem esse propriè dictam.

LXXVIII. Diffiteri autem non possumus, à Theologis diversos adhiberi modos loquendi. Sunt, qui Patrem dicunt causam *imperantem*, Filium *exequentem*, quia Pater mittit, Filius mittitur. Verùm hoc pacto discrimen quidem personarum & operationum innuitur, sed non ipse causandi modus exprimitur. Quidam Christum *impellentem* potiùs causam nominant, quàm efficientem. Pater enim per intuitum meriti impellitur, ut nos in gratiam recipiat & justificet. At non censemus hæc esse contraria, cum utrumque de Christo affirmari queat. Nam consideratur dupliciter. 1. In respectu ad Patrem, quem suo merito movet ad justificandum: Et hoc sensu *causa impellens* rectè dicitur. 2. In relatione ad justitiam, quam acquisivit, nobisque applicat: & hoc respectu *causa efficiens* nuncupari tum potest tum debet. Qui enim justitiam reparavit, & reparatam efficaciter confert, cur non justitiæ causa efficiens diceretur? Distingui-

E 3 mus:



imus verò, inter causam justificationis *generalem* vel *communem*, & *specialem* vel *propriam*. Illa est gratiæ Dei, hæc obedientia Christi, quippe qui passione sua expiavit peccata nostra, & veram justiciam reparavit.

*Christus tripliciter justificationis nostræ causa est.*

LXXIX. Quæ omnia ut rectius intelligantur, & brevius proponantur, norandum est, Christum *tripliciter* justificationis nostræ causam esse & nuncupari posse. 1. *Merito*, quia gratiam Patris promeruit, illi nos vicissim reconciliavit, & peccata quævis abstulit juxta dicta, *Rom. 4. v. ult.*, *1. Corinth. 15. v. 3* 2. *Efficaciâ*. Non enim ob id præstitum est Christi meritum, ut nostræ vel aliorum pro nobis satisfactiones fiant meritorix, siquidem obedientia ejus sola est & sufficiens expiatio pro peccatis nostris, *1. Iob. 1. v. 7.* *1. Iob. 2. v. 2.* *1. Pet. 1. v. 19.* nullo egens additamento vel appendice nostrorum operum, quæ propterea è negotio salutis prorsus excluduntur, *Rom. 3. v. 4.* *11. Galat. 3.* *Ephes. 2. 3* *Applicatione*. Christus enim non modò justiciam acquisivit, sed insuper acquisitam applicat, ut nullâ re aliâ simus justi, quàm solâ ejus obedientiâ nobis imputata. Hinc dicitur justitia nostra, *Ierem. 23. v. 6.* in quo sunt nostræ justitiæ, *Esa. 45. v. 24.* factus à Deo justitia, *1. Corinth. 1. v. 30.* ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, *2. Corinth. 5. v. ult.*

LXXX. Ex triplici hoc respectu triplex causandi modus profuit, ideoque Christus rectè indigitari potest, 1. *Causa impellens*, ob meritum, quo movetur Pater. 2. *Causa efficiens*, ob efficaciam, quâ justitia est acquisita. 3. *Causa formalis*, ob applicationem, quatenus meritum ipse suum nobis applicat, quæ meriti applicatio & imputatio causa formalis est. Nam propter Christi meritum fide apprehensum, nobisque imputatum, formaliter justus sumus coram Deo, ut ita vultum sit absurdum, Christum ejusque meritum ad diversa causarum genera revocare. Declarari hoc potest similitudine quadam, à *solutione alieni debiti* petita. Quatenus ea respectu solventis, non debitoris æstimatur, causa efficiens est, ob quam debitor absolvitur, & conveniri nequit: quatenus verò solutio ista alieni debitori, ac si esset propria, imputatur, hoc sensu causa formalis est, quæ ipsum *τὸ εἶναι* largitur justificationi & absolutioni forensi.

Quæ



## QUÆSTIO II.

### *Num ad rationem meriti unà concurrat obedientia CHRISTI activa.*

LXXXI. Duo erant mala: unum *culpa*, quod homo injustè commiserat; alterum *pœna*, quod homo justè perpessus erat. Utrumque suum in Christo habet remedium; Expiata fuit *culpa* per obedientiam *activam*, sublata *pœna* per *passivam*. Utraque ergò necessaria, utraque meritoria, si modò ab omnibus malis per Christum liberari voluerimus. Et quod attinet *obedientiam passivam*, illam fuisse meritoriam & nostri causâ factam, manifestissimum est ex clarissimis Scripturæ testimoniis. Hic enim dicitur 1. Pet. 2. v. 21. & 24. *Christus passus est pro peccatis*, 1. Cor. 15. vers. 3. *Mortuus pro peccatis*. Rom. 5. v. 6. *Mortuus pro impijs*. Roman. 4. vers. ult. *Mortuus propter peccata nostra, resurrexit propter justitiam nostram*. 1. Johan. 2. v. 2. & 4. v. 10. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, adeoq; totius mundi*, quæ omnia sequenti disputatione probabuntur fusiùs. Quod verò *activam* spectat *obedientiam*, movetur à nonnullis, Piscatore præsertim Herbornensi controversia, dum disputant, eam non pertinere ad Christi meritum & satisfactionem pro nobis, sed tantùm requiri ad personæ pro nobis satisfaciendæ præstantiam & persécutionem, quam sanctissimam esse oportuit, ut apta & idonea esset ad subeundum tantum officium.

Duo generis  
humani mala.

Sententia Pi-  
scatoris Her-  
bornensis.

LXXXII. Verùm ratio hæc prorsus est inefficax. Id quidem certum, Mediatoris personam oportuisse esse sanctissimam. Hebr. 7. v. 26. Nihil enim inquinatum potest alios iniquitate purgare, Heb. 7. v. 27. Hæc verò personæ sanctitas qualis sit, exprimitur Luc. 1. vers. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te, propterea id, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI*. Unde concluditur, massam illam humanæ naturæ in virgine Maria à Spiritu Sancto purgatam & sancti



sanctificatam fuisse, ut uniri hypostaticè Filio Dei posset, & esset idonea ad officium redemptionis. Si verò ad personæ constitutionem, præter sanctitatem hanc habitualemente requireretur, etiam actualis, quæ est sancta obedientia legi præstanda, sequeretur, plures triginta annos in constituenda persona Mediatoris consumtos fuisse; ad ipsam enim mortem crucis obedientia illa duravit. Unde porro sequeretur, officio Mediatoris Christum esse perfunctum, antequam persona ejus plenè constitueretur, in ipsa enim infantia Mediatoris partes peregit.

LXXXIII. Proinde sic potius statuendum, quòd in una Christi persona duæ sint naturæ. Divina & humana. Divina non tantùm justa & sancta est, sed ipsa potius essentialis sanctitas. Humana verò justa & sancta est, quia à Spiritu sancto concepta, & absque omni peccato nata. Hæc justitia & hæc sanctitas requiritur ad personæ Mediatoris *ἱκανότητι*, & de hac loquitur dictum *Hebr. 7. v. 26.* eaque sanctitate sibi sanctus est Christus, Mediator noster. Est verò alia adhuc Christi justitia, quæ definitur *perfectissimâ legis divinæ impletionem, & obedientiâ absolutissimâ*, de qua *Rom. 5. v. 19. Galat. 4. v. 4.* Hæc ipsa verò ad rationem meriti concurrat, & ab hoc secludi nequaquam potest. Nos enim peccata commiseramus, ideoque pati debebamus, nos insuper obedientiam non præstitimus, ideoque illam Deo adhuc debebamus. Utrumque verò requirebatur ad nostram justitiam. Nam justus non est, qui luit pœnam suæ injustitiæ, sed qui legi satisfacit. Igitur, ut perfecta nobis acquireretur justitia, opus erat, ut Christus non tantùm subiret pœnam pro malis quæ feceramus, sed etiam ut obedientiâ suâ satisfaceret pro bonis, quæ non feceramus. Utrumque enim requirit Deus, non solum pœnam pro commisso actu malo; sed etiam perfectam suæ legis adimpletionem. Satisfecit igitur Christus pro culpa nostra agendo, pro pœna moriendo. Et quamvis Christus pro peccatis etiam nostris dicatur passus & mortuus, non tamen id aliter, quam de reatu est intelligendum. Quæ enim facta sunt, Christus infecta reddere non poterat, pœnam tamen & reatum optimè auferre poterat. Atque hoc est mori pro peccato alicujus, quando pœna peccato debita, morte expiatur. Quia



Quia verò sublatio pœnæ nondum facit justum, sed requiritur præterea perfecta legis observatio, quæ nobis impossibilis, necesse est, ut dicamus, & hoc Christum nostri causâ expedijsse. Ita igitur, agendo culpam, patiendo pœnam sustulit.

LXXIV. Ut autem sententiam nostram **SCRIPTURÆ** *Dicta Scri- ptura contra* **SCRIPTURÆ** *Piscatoris.* muniamus, sequentia cumprimis notari volumus *sententiam* **1. Roman. 5. vers. 18. 19. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justifica- tionem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justii constituentur multi.** Vocabulo autem *obedientia* mors & passio Christi nequit intelligi. **1. Quia obedire propriè notat quandam actionem legi conformem. 2. Quia vocatur justitia Christi, hoc autem de passione dici nequit. Nam illa quidem sit nostra justitia, propriè tamen Christi justitia dici nequit. 3. Antithesis hoc non admittit. Sicut enim per inobedientiam Adami intelligitur ἀνομία; ita per obedientiam Christi non potest aliud quàm actio legi conformis intelligi.**

LXXXV. **II. Matth. 5. v. 17. 18. Non veni solvere legem, sed adimplere.** De lege morali sermo est, ut textus indicat. Hinc colligimus: Venit Christus in mundum, ut impleret legem moralem. Non autem frustra, nec sui, sed nostri causâ venit, **Hebr. 10. vers. 7, 10. Psal. 40. vers. 10. Ergo etiam nostri causâ legem implevit.** Quòdenim non venit legem implere pro se, patet. **1. Fieret enim servus & debitor legis, qui est Dominus ejusdem. 2. Obedire legi eamque implere est pars officij. Pro se autem Christus officium neque suscepit, neque eo perfunctus. 3. Sequeretur, ipsum λόγον, qui in humana natura & per illam obsequium legi exsolvit, sui etiam causâ legem adimplevisse, eique subjectum esse ex debito. Porro & illud falsum est, quòd Christus obedientia activâ sibi ipsi aliquid promeruerit. Nam 1. ipse erat Dominus omnium. 2. Participatio majestatis erat consequens unionis. Particula verò Philip. 2. vers. 9. propterea non αἰτιολογικῶς, sed ἐκβαλτικῶς accipienda est.**



LXXXVI. III. Galat. 4. v. 4. & 5. Vbi venit plenitudo temporis, misit DEVS Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Quo igitur modo nos eramus *ὑπο νόμον*, eo modo etiam Christus factus est *ὑπο νόμον*. Atqui nos eramus *ὑπο νόμον*, non tantum maledictionis & pœnarum, sed obedientiæ etiam ratione. Ergo etiam Christus, ut nos redimeret non tantum maledictionis & pœnarum, sed obedientiæ etiam ratione factus est *ὑπο νόμον*.

LXXXVII. IV. Roman. 10, vers. 4. CHRISTVS est perfectio legis ad iustitiam omni credenti. Dicitur verò Christus finis & perfectio legis, quia illam perfectè implevit, quæ impletio ad iustitiam imputatur omni credenti. Neque probari potest, quòd Apostolus tantum loquatur de lege ceremoniali & ejus complemento. Nam Apostolus præcipuè loquitur de morali, ex qua Judæi captabant laudem iustitiæ sed frustra, quia spernebant eum, qui iustitiam perfectam legis impletione nobis acquisivit.

LXXXVIII. V. Roman. 8. vers. 3. 4. Quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, DEVS mittens Filium suum in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis. Unde argumentum tale necimus: τὸ ἀδυνατῶν legis præstitit missus DEI Filius. At verò obedientia legis est ἀδυνατῶν illud. Ergo Christus obedientiam præstitit. Porro, quod missus DEI Filius præstitit, id nostri causâ factum est. Obedientiam legis præstitit. Ergo nostri causâ: id quod erat probandum.

LXXXIX. VI. 2. Corinth. 5, v. 21. Eum, qui non novit peccatum, fecit peccatum, ut nos efficeremur iustitia DEI in ipso. Quo igitur modo Christus factus est pro nobis peccatum, eodem & nos in Christo efficimur iustitia: Christus autem factus est peccatum, quia illi peccata nostra imputabantur. Ergo & nos efficimur iustitia per imputationem iustitiæ Christi. Et quia peccatum, quod Christo imputatur, est actualis, totalis & perfecta transgressio legis, urique vi oppositionis, iustitia Christi, quæ nobis imputatur, erit similiter actualis, totalis & perfecta imple-



impletio legis. Idem concludi potest ex illo 1. Corinth. 1. vers. 30. *CHRISTVS factus est nobis à DEO justitia, sanctitas & redemptio.*

**XC. VII.** Psal. 40, v. 10. Hebr. 10, v. 7. 9. 10. *Tunc dixi: Ecce venio (in capite libri scriptum de me) ut faciam DEVS voluntatem tuam volens & legem tuam in medio cordis mei, In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. In hoc dicto Apostolus expressè obedientiam Christi juxta legem & voluntatem Patris cum sanctissima ejus oblatione conjungit ad nostri sanctificationem, id est, justificationem.*

**XCI.** Præter dicta Scripturæ adduci possunt **RATIONES** *Rationes*, idem confirmantes, quarum tres sunt præcipuæ. 1. *Ab absurdis; quod activa Si pretium redemptionis est sola mors Christi, excludentur ab Christi obedientia fuerit eodem. 1. Reliquæ passionibus; passus enim est sitim, famem, meritoria. convicia, &c. 2. Resurrectio, contra dictum Rom. 4, v. ultim. 3. meritoria. Victoria Christi, quæ tamen itidem ad resurrectionem nostram totalem pertinet. Per eam enim liberati sumus à potestate inferni & diaboli. 4. Operationes divinæ, à quibus tamen passionibus omnem suam habent pretiositatem, virtutem & efficaciam, quas si sustuleris à merito Christi, omne meritum sustuleris. Passiones enim humanæ meritoria non fuissent, nisi actionibus divinæ adjunctæ.*

**XCII.** *A perfectione justitiæ.* Justitia perfecta est non tantum pati pœnas propter peccatum, sed satisfacere quoque legi eam implendo. Non enim justus est, qui injustitiæ pœnam solvit, sed qui legi vel ipse satisfacit, vel alterius satisfactionem apprehendit. Atqui Christi justitia, quam nobis peperit, est sanè justitia perfecta. Ergò legis impletionem simul includit. Et cum perfectissimam obedientiam in lege sua à nobis requirat DEUS, quam nos ob carnem præstare non possumus, Rom. 8, v. 3. unde nam nobis illa obvenit. Nam si ex Christo eam non habemus, quid est in tota rerum universitate, quod dare eam nobis possit? Item; quid sit, ut inchoata piorum ebedientia DEO placeat? Annón ideò, quia imperfectiones nostræ summâ Christi obedientiæ perfectione teguntur?



CXIII. III. *A conditione activæ obedientiæ.* Quicquid est verè & propriè effectum personæ Mediatoris jam constitutæ, illud non debet nec potest appellari pars eam personam constitvens, sive qualitas ad ejus personæ constitutionem pertinens. Atqui activa obedientia Christi est verè effectum personæ Mediatoris jam constitutæ, ut patet ex Rom. 5, v. 19. Galat. 4, v. 4. Rom. 10, v. 4. Ergò non debet nuncupari qualitas ad constitutionem personæ pertinens. Addi possent multa Patrum testimonia, sed cum illâ Dn. D. Gerhardus recensuerit T. 3. LL. CC. p. IIII. operâ illa supersedere volumus.

*Objectiones  
Piscatoris.*

XCIV. Nihil verò jam aliud restat, quàm ut unam alteramve Piscatoris objectionem diluamus. Sic ergò colligit: 1. *Omnis homo est debitor legis. Christus est homo. Ergò etiam ratione personæ suæ fuit debitor legis.* Resp. sunt quatuor termini in argumento: Major enim loquitur de  $\psi\iota\lambda\acute{\omega}\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\omega$ ; minor autem de  $\theta\rho\epsilon\acute{\omega}\pi\omega$ , qui ob id omni lege sine controversia est superior. Et quia in ista obedientia præstanda, non natura Jesu humana per se agit, sed tota persona, Deus & homo; hinc fieri nequit, ut humanitatem sub debito legis possis statuere, nisi & Deum ipsam legi ex debito subjectum statuas, quod absurdum. Instat: *Si Christus legi non fuit subjectus, annè ergò licuit ipsi contra quartum Præceptum monitis parentum refragari, vel alia mandata Decalogi violare?* Respondent verò nostri; Quod Christus secundum legem subditus fuit parentibus, inversus est hac in re totus naturæ ordo, siquidem contra naturam est, ut creator propriæ suæ creaturæ obtemperet, & ut Dei Filius ijs sit subditus, quos ipsemet fecit ac condit. Itaque si huic obsequio parentum Christus non se submisisset, non peccasset, neque hic fecisset aliquid contra legem, sed quemadmodum superior lege erat, fecisset supra legem, quod etiam nonnunquam haud obscurè parentibus suis subindicavit, ut Luc. 2, v. 49. Iohan. 2, v. 4. Alterum quod attingit, non sequitur ex affirmato nostro, Christo licuisse peccare, falsum dicere testimonium, absit hoc; neque tamen inde concludi potest, aut debet, quòd ob id sub lege fuerit, alioquin idem de Patre & Spiritu sancto dicendum foret. Sicut ergo Pater & Spiritus sanctus à peccatis abstinent non ex quadam legis



legis præscriptione, sed ex naturæ suæ conditione & perfectione, ita de Christo erit statuendum. Et notetur hic, quòd *duplicia* sint peccata, *quædam* γινώσκω mala, quæ semper pugnant cum natura Dei, & hæc Deus non admittit, nec admittere quidem potest, nisi seipsum negare voluerit; *quædam* sint peccata ratione externi mandati duntaxat, ut comestio carnis suillæ, &c. quales actiones non pugnant cum Dei natura vel voluntate simpliciter; ideoque fieri rectè possunt.

XCV. 2. *Si obedientia vitæ Christi activa nobis imputatur ad justitiam, non opus fuit Christum pro nobis mori.*

Respond. Nulla est consequentia, non enim activa tollit passivam obedientiam, nec hæc illam, sed utraque requiritur, si Deo perfectè debet satisfieri. Utraque in suo genere perfecta est, sed non alterutra perfectè Deo satisfacit, requirebat enim non solum pœnam à nobis Deus, sed & perfectam suæ legis adimplerem. Excipit, *si lex est impleta, nulla restabit culpa.* Ergo nec pœna, ideoque non opus erat passivam obedientiam. Resp. distingue inter peccata commissionis & omissionis. Pœnam debebamus suscipere propter commissa peccata, hanc etiam Christus suscepit dum pateretur: Obedientiam verò quam omiseramus; exigebat insuper à nobis lex, ideoque opus erat activa Christi obedientiam.

XCVI. 3. *Lex obligat vel ad pœnam vel ad obedientiam, non autem ad utrumque. Si igitur Christus pro nobis suscepit pœnam, non opus fuit nostrè loco præstare obedientiam.*

Respondeo. Antecedens verum est de statu integritatis, falsum de statu lapsus & corruptionis. Ibi quidem obligat lex tantum ad obedientiam, non ad pœnam, quia ubi nulla est transgressio, ibi pœna locum non invenit: hinc autem ad utrumque obligat ad obedientiam, jure creationis; ad pœnam ob lapsum & mandati divini transgressionem.

XCVII. 4. *Christus unicâ oblatione consummavit sanctificandos, Heb. 10, v. 14. Ergò obedientia Christi activa non requiritur.*

Resp. 1. Apostolus non discerpit, sed conjungit utramque obedientiam, ut patet ex *vers. 10.* 2. Non voluit describere omnem meriti rationem, sed tantum complementum & consum-



summationem, quam in morte Christi peractam esse, juxta  
Iohan. 19, v. 30. non inficiamur. 3 Vocabula *missas* non opponi-  
tur implerioni legis, sed pluralitati & crebrae repetitioni Leviti-  
carum oblationum, quibus in Novo Testamento exclusis per  
unicam solamque Christi in ara crucis immolationem sanctifica-  
ri dicimur.

XCVIII. Ad reliquas objectiones peculiare qui desiderat re-  
sponsum, *Dn. D. Eckardi* libellum, de hac questione singulari-  
ter scriptum consulat & evolvat. Nos hic abrumpimus, & quae  
de Christi merito dicenda restant, disputationibus secuturis re-  
servamus, gratias agentes DEO Patri, quod in plenitudine  
temporis misit Filium suum, factum sub lege, ut eos, qui sub  
lege erant, redimeret, nosque adoptionem filiorum reci-  
peremus; Ipsi soli & misericordi DEO sic  
laus & gratiarum actio sempiter-  
na, AMEN.

FINIS






Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS










3g 2909

(9/3)

ULB Halle

3

002 387 158



Sb.

3 1/2

VO 17


Ant.











Α Ο Γ Ι Α Σ  
Æ,  
IO XXIV.  
atis pertinens

# ALIS IN

tionis occur-  
ficiente, impellente  
ia.

eb. Academia.

*proposita,*

IDIO  
RI, SS. Th. D.

NTTE,  
OTTLÖBEN  
genfi.

o, *Septembr.*

GÆ,  
IS, Anno 1618.

946

